6

NABAL.

Rodolphi Gualtheri, *TIGVRINI COMOEDIA* ſacra, quę inſcribitur Nabal, deſumpta ex I. Samuelis XXV. cap. nunc primum conſcripta, & ædita.

BIBLIOTECA NAZIONALE
ROMA

IESVS.

Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi.
Ioan. 1.

EXCVSVM ARGENTINÆ apud Chriſtianum Mylium.
M. D. LXII.

VERE GENEROSO, ET *Illuſtri viro, D. Floriano Susliga Rolicz à Vuarſ hauia C. V. Polono, ROD. GVALTHERVS Tigurinus S. P. D.*

NON defuturos puto, Floriane ampliſſ. qui hunc meum laborem iniquius, & maligne nimis interpretentur: cum hoc noſtro plus ſatis exulcerato ſæculo vix aliud, & facilius, & fœcundius, quàm calumniæ mõſtrum proueniat. Quiſcunq; enim priuatis de cauſis noſtræ eccleſiæ iniquiores ſunt, & proinde omnia noſtra Theonino dente arrodere conſueuere, mox vociferabuntur, immane & nulla dignum venia facinus à me cõmiſſum eſſe, qui hoc tam afflicto communis Ecclesię ſtatu in Comœdijs ſcribendis occuper, quaſi quod agam non ſit aliud. Sed næ illi ſub plauſibili pietatis prætextu ſatis aperte ſuam produnt malignitatem, dum nullo habito perſonarum diſcrimine quiduis à quouis exigunt. Sunt enim, fateor, quæ hodie maiori cum fructu, & neceſſario quidem, tractari poſſunt & debent, infinita alia. Sunt autem viciſsim multi vbiq; gentium, qui ut eruditione, & rerum longo vſu me multis paraſangis ſuperant, ſic ea tractare poſſunt me multò fœlicius. Illis ego, ſi ſponte in ijs quæ magis ardua ſunt, et maiores vires exigunt, loco cedam, ac ipſe circa leuiora occuper, quæ meis humeris magis conuenire arbitror, non me tam immaniter peccare exiſtimo. Vt tamen hæc ſinam: nec à mea profeſsione, nec à noſtri ſæculi ſtatu quidquam

alieni me feciſſe puto, qui aliquantum temporis poëſeos ſtudio conſecrarim. Nam ſi ex afflictionibus, tam priuatis, quàm publicis, euadendi via commodior & cōpendioſa magis non eſt, quàm vt pœnitentia ſcelerum moti ſinguli ſuis, vt decet fungantur officijs: cumprimis etiā in hoc incumbendum eſſe puto omnibus eccleſiarum, & Chriſti miniſtris, vt ſingulorum hominū, cuiuſcunq; loci & ordinis, officia priuatim & publice pro virili informent. Nec ſufficere puto, vt in loco religioni & diuinis cultibus ſacro illud fiat, niſi eadē doctrina & foro, & curiæ, & compitis, & theatris etiā inferatur: vt ibi quoq; vel inuiti ſapere diſcāt homines, vnde peccatorum & ſcelerum occaſiones deſumi conſueuerunt. Et quia inter ſummam nouiſsimi huius ſæculi corruptelam, multorum ea eſt improbitas, vt verbi Dei doctrinā, cum nuda ſimplexq; proponitur, audire prorſus dedignentur, neceſſarium puto, vt fideles medicos imitemur, qui pharmaca acerbiora melle cōdire, vel labra ſumma pyxidum eodem inungere ſolēt, ut ægrotos, qui moroſi nimium amara & acerba faſtidiunt, hoc pio & ſalubri dolo fallant. Nec id primi nos facimus, cum multorum exempla extent, inter veteres quoq;, qui res ſacras carminum lepore & venuſtate ſplendidius exornatas delicatulis illis auribus propoſuerūt: Quorum tanta eſt authoritas, vt hac ſola fretus, cum Poëta dicere poſſem:

Rumores rabularum & inuidorum
Omnes, unius æſtimemus aſſis.

Vt tamen de noſtro hoc labore dicam aliquid apud te Floriane, cui ſi quando opus foret, ob ſingularem eruditionem ſummæ humanitati coniunctam, ſtudiorum meorum omnium rationē reddere nequaquam vererer: vix aliud argumentum noſtro ſæculo commodius mihi uiſum eſt, quàm quod hic tractandum ſumpſi: cuius non indiligens contemplatio, hiſce tam calamitoſis temporibus omnes ferè omnium ordinum homines inſtituere poſsit. Habemus enim in hoc Dauidem, qui cum Ieſu Chriſti, Regis & ſaluatoris noſtri typus ſit, non immerito omnium quoque Chriſti membrorum typus & exemplar cenſeri poteſt. Proponitur is nobis exul et extorris, diraque Saulis tyrannide non aliam ob cauſam premitur, quàm quod regnū ipſi promiſit Dominus. Exulant cum eodem, & omne genus laborum ſuſtinent, quotquot regis diuinitus conſtituti partes potius ſequi, quàm immanem Saulis tyrannidē indies experiri malunt. At quantum hodie, proh dolor, illorum numerum videmus, qui nō aliam ob cauſam bonis & fortunis omnibus exuūtur, patrijs pelluntur ſedibus, à coniugum & liberorū complexu auulſi, incerti hinc inde uagantur, omnium expoſiti ludibrijs: quàm quod Chriſto, Regi regū, & domino dominantium, quem cœleſtis pater vnxit, & ſaluatorem doctoremque catholicum conſtituit, nomen dederunt, & huic potius, quàm impuro Facierum regi (qui in templo Dei ſedēs aduerſus Deum, & vnctum ipſius effertur) adhærendum eſſe exiſtimant. Docet hos Da

uidis exemplum, quales ſeſe gerant tot vndique ſepti hoſtibus. Cõſolatur eosdem diuinitus ſumpta de Nabale pœna, cuius inſolentiam tam ſubito Deus coercuit, qui cum fidelis ſit, ſuos ultra quàm ferre poſsint, tẽtari nõ patitur. Terret quoque tyrannos omnes, & fidelium Chriſti membrorum oppreſſores, horrendus ille & inſperatus Nabalis exitus: quem ſcripturæ omnes uno ore ĳs minitantur, qui Creatoris & ſaluatoris ſui immemores, terrorem ſuum (vt prophetæ verbis vtar) dederunt in terra viuentium. Dauidi indiuulſus comes, & ceu fidus aliquis Achates inducitur ſacerdos Abiathar, diuinis ipſum conſolans promiſsionibus. Hunc imitari diſcent eccleſiarũ miniſtri, vt vndiq; licet feruentibus perſecutionũ procellis, nec à Chriſto (qui verus ille Dauid eſt) ſeſe auelli patiantur, nec ſuæ fidei creditas Eccleſias verbi Dei conſolatione, quantum in ipſis eſt, deſtituãt. Vt interim de priuatis hominib. omittã dicere, qui ſinguli quod hinc documẽti hauriant, habere poſſunt. Diſcẽt enim Nabalis exemplo patresfamiliâs, quâm parũ tã ꝓpriȩ ipſorũ quàm familiȩ totius incolumitati conferant opũ congeſti acerui, niſi his rerũ adminiſtrandarũ peritiam, animumq; religionis ſtudio, & humanitatis, aliarũq; virtutũ officĳs inſtructũ coniunxerint. Diſcẽt ſinguli, quæ & quanta ſint ebrietatis & crapulæ incommoda, eoq; æquioribus animis temperantiæ legibus ſeſe gubernari patientur. Atqui quã hæc doctrina noſtro ſeculo neceſſaria ſit, vel ſola Chriſti admonitio teſtari poteſt, qui nouiſsimorum

temporum hominibus grauiſsimũ ex crapulæ & gulæ ſtudio periculum minitatur. Diſcēt per Abigaēlem admonitæ matronæ, quibus rationibus maritos ſuos, iniquos etiam, & plane incōmodos tractare debeant, ut commodioribus vti poſsint. Habebunt deniq; (abſit verbo inuidia) quod ad ſui inſtitutionem transferant, ſeruuli, ruſtici, milites, coniuge, ciues, peregrini, ſenes, iuuenes, omnes deniq;, cuiuſcunq; ſint loci, ætatis, ſexus aut ordinis. Num ergo præter officium uideri poſſum feciſſe, quod iſta hoc tempore tractanda ſumpſerim? quando omnes penę hominum ordines docendo in viam redegi, & in officio retineri maxime neceſſarium eſt: qua in re quantum Comicarum actionum aculei valeant, nemo vere ſapientum ignorare poteſt. Quare cauſam hanc meam coram cordato & æquo iudice facillime me obtinere poſſe ſpero, nec operæprecium me facturũ exiſtimo, ſi pluribus hac de re diſſeram.

Quòd vero hoſce meos labores tuo potiſsimũ nomini nuncupādos eſſe arbitratus ſum, Floriane ampliſsime, idemq; colendiſsime in Chriſto frater, multæ rationes effecerunt, quas omnes hoc loco commemorare ſuperuacaneũ eſſe duco, vt qui animum meum ſatis, vt ſpero, perſpectum habeas. Certe, vt huic meo labori rudi, & nimium præcoci fortaſſe, patrono opus eſſe duxi, quem te & fidum & ſtrenuum fore confido. Ita meus in te amor, tuiq; nominis authoritas mouerunt, vt neminem alium huic negotio & idoneum, & dignũ magis eſſe putarem. Nam ſi ea eſt amicitiæ Lex,

vt minime latere poſsit, ſed omnibus innoteſcere cupiat, nequaquam (meo quidē iudicio) admittēdum fuit, vt noſtrorum animorum conſenſio, quę multis nominib. arctiſsima eſſe debet, ignota eſſet: quin aliquod eius apud poſteros quoq; argumentū, meiq; apud te animi non ingrati teſtimonium extare cupiebam. Nec id tibi ingratum fore ſpero, cùm eum te agnouerim hactenus, qui minima quoq; amici ſynceri officia candide interpretari, & æqui boniq; conſulere ſoleas. Accipies ergo benignus hunc meæ Muſæ fœtum, qui ſi minus comptus videbitur, eum & in Heluetijs natum, & ex temporum iniquitate aliquid aſperitatis contraxiſſe putabis. Vale fœliciter in Domino. Tiguri Calēd. Octobris. Anno à Chriſto ſaluatore nato, 1549. Quādo ante annos 2647. Dauid, vir iuxta cor Dei, impio Saule ſublato, primū regnare cœpit. Faxit Deus cœleſtis pater, vt ſicut olim Dauid à ſtolidi Nabalis intemperie et inſolenti Saulis tyrannide liberatus, regnum ſibi promiſſum adeptus eſt: Ita nos quoq; Ieſum Chriſtum, dilectum Dei filium, in quo patri com placuit, cui debentur termini orbis terrarum, deuictis & ſublatis omnibus eccleſiæ hoſtibus, ſuo ſpiritu & verbo libere, tutoq; in ſuorum mentibus regnare videamus. Idem te ſuæ eccleſiæ, túæq; imprimis Poloniæ diu ſeruet incolumem. Amen.

ΕΙΣ ΦΛΩΡΙΑΝΟΝ ΣΟΥΣΛΙΓΑΝ

τὸν Σαρμάτην, εὐγενείᾳ τε καὶ παιδείᾳ παντοδαπῇ λαμπρότατον ἄνδρα, Κορράδου Γεσνήρου Ἐπύλλια.

Οὔνομα μὲν κάλλιστον ἔχεις, τριπόθητον ἄκεαρ,
Εὐθαλὲς, ὄζον ἴων, πορφυρέων τε ῥόδων,
Ἄνθεσιν εἰαρινοῖσι φερώνυμον· οὐδέ σ' ἀγαυοὶ
Αὔτως τοῦτ' ἐκάλουν ἐκ γενετῆς τοκέες.
Καὶ γὰρ ἐφαρμόζει τοῖς πράγμασιν οὔνομα μοῖρα
Γιγνομένοις ὄπιθεν πολλάκις εὐφραδέως.
Ἀλλά με Πιερίδες φωνεῖν τοῦτ' οὐκ ἐφιᾶσι
Γλώττῃ Ῥωμαίων, αἷς ἐλεγεῖα μέλει.
Ἀνθέμιον δὲ λέγειν ἀντίστροφον οὔνομα φωνῇ
Ἑλλάδι, κ' Εὐανθῆ, οὔτι μοι ἐμπόδιον.
Χαῖρέ μοι εὐγενέων ἀνδρῶν σέλας, ἀγλαὸν ἄνθος
Γαίης πατρῴης Σαρματικοῦ δαπέδου.
Ὦ μάκαρ, ὃν περὶ στέρξε θεὸς, περὶ δ' ὤπασε Χριστὸς
Πολλὰ καὶ ἐσθλὰ νοεῖν, εἰς βίον ἀθάνατον,
Πολλὰς μὲν μερόπων γλώττας σε δαήμεναι οἶδα,
Τῶν δ' ἄλλων μούνη φερτάτη Ἑβραϊκή.
Τοὔνεκα Γαλθῆρος τόδε νῦν σοι Δρᾶμα Ῥόδολφος
Προσφωνεῖ, θείας σῆς ἀρετῆς ἕνεκεν·
Γαλθῆρος σε μάλιστα φιλῶν, κλέος Ἐλβεκίοισι
Ἧς χάριν εὐσεβίης εὐμαθίης τε μέγα.
Οὖλέ τε καὶ μάλα χαῖρε, θεὸς δέ τοι ὄλβια δοίη
Ἡμετέρας αἰεὶ μνήμονι τῆς φιλίας.

Dramatis perſonæ.

NABAL paterfamiliâs diues,ſed ſtolidus.
GLYCYLOGVS paraſitus.
PYROPTES coquus.
PHILOENVS }
OPSOCLEPTES } *ſerui domeſtici.*
GEORGVS }
PHILOPONVS } *ſerui ruſtici.*
SPVDÆVS Oeconomus.
ABIGAEL vxor Nabalis.
PORNION }
EVLALIA } *ancillæ.*
PHILOPOSIVS }
GASTRODES }
EVBVLVS } *Nabalis conuiuæ.*
DYSIGAMVS }
DAVID.
ABIATHAR Sacerdos.
IOAB dux militum.
ABISAVS Tribunus militum.
SPHENDONITES }
OCYMACHVS } *duces funditorũ.*

NE ſit cui veſtrum nouum, quod primus in
Scenam ſenex huc prodeo.
Sacro magis quàm ſcenico tectus habitu,
Cum cauſa mihi ſit maxima.
Nam quos frequenti in hac corona cernitis,
Rem proferent grauiſſimam.
Quam nos piam ſanctamq́; dicere non pudet.
Huius volunt interpretem
Habere me: quare viri clariſſimi,
Si multa ſæpe ludicra
Spectare dignati eſtis, hanc è fontibus
Ductam ſacris Comœdiam,
Æquis animis ſpectare etiam dignemini.
Quæ nil, quod obſit, continet.
Non heic erit pernities adoleſcentium,
Leno rapax & improbus.
Non ſcorti auari & impudentis audiet
Quiſquam improba lenocinia.
Non diſcet heic imponere patri filius,
Virum nec vxor fallere.
Nec quiſquam erit, cuius queat proteruitas
Mores bonos offendere.
Quin ſi quis hic minius bonus producitur,
Docebit alios rectius

Viuere,

Viuere, ſuis dum digna ſentit moribus
Sibi obuenire præmia.
Sic Nabal hic diues, potensq́ plurimum,
Docebit omnes diuites,
Quàm vana ſit poſſeßio pecuniæ,
Prudentiam ni adiunxeris.
Idem ebrietatis quæ ſient incommoda,
Suo probabit exitu.
Illius at coniunx Abigaël fœminas
Omnes ſuo exemplo inſtruit,
Docetq́ ſedulo (dociles licet hactenus
Inuenerit paucißimas)
At qui ſua res adminiſtrant publicas
Cura, fide & prudentia,
Hos Dauid hic, Rex omnium pijßimus,
Docet quid agere debeant.
Huic proximus qui ſtat, ſacerdos Abiathar,
Exemplar eſt antiſtitum:
Quorum ſacra eſt verbi docere oracula,
Multosq́ Chriſto adducere.
Hic militaris ruſticæq́ cernitur
Vitæ typus clarißimus.
Sed quid opus eſt, vt ſingula nunc recenſeam,
Quæ poſt patebunt plenius?

Addam

Addam tamen hoc, quod eloqui veriſsimè
Poſſum, ſtatus mortalium
Illi eſſe perſpectos ferè omnes, quiſquis hanc
Perſpexit actiunculam.
Hanc quia dabunt, huius qui alumni patriæ
Bonas coluere litteras,
Spectare vos decet, fauore vt exciti
Veſtro, magis ſe induſtrios
In poſterum gerant, ſimulq́; vos velim
Congratulari patriæ,
Quæ talibus ſeſe beauit filijs,
Totamq́; ſimul Rempublicam.
Sed deſino, ne multa dicendo morer
Veſtros animos diutius.
Tu primus huc prodito nunc puſillule,
Sed maximæ ſpei puer,
Paucisq́; ſummam totius Comœdiæ,
Vt doctus es, proponito.

PE-

PERIOCHA.

COnuiuium Nabal parat tonſoribus.
Ab hoc petit miſsis Dauides nuntijs,
Se commeatu vt adiuuet: ſed reijcit
Hos Nabal, & dira ingerit conuitia.
At hoc bibente cum ſuis, commotior
Dauides armatas cohortes expedit,
Nabalis vt ſuccindat omnem funditus
Domum: huius at vxor vbi Dauidis comperit
Conatum, mox parat cibaria, vt obuiam
Procedat, & precibus furentem mitiget.
Domum reuerſa viro recenſet ſingula:
Qui infelix diris ſternitur terroribus,
Paucisq́; diebus poſt vita defungitur.
David relictam coniugem iungit ſibi,
Connubioq́; inito parantur nuptiæ.

Actus

ACTVS I. Scena I.

ARGVMENTVM SCENÆ.

HAC ſcena totius Comœdiæ fundamēta iaciuntur. Nam & Nabalis perſona deſcribitur, & de conuiuij apparatu (unde omnis turba oborta eſt) conſultatur.

GLYCYLOGVS paraſitus. NABAL.

GLY: Verum eſſe nūc vulgi ſcio prouerbium,
NVLLA euenire poſſe cuiquā incōmoda,
Quæ non alicuius commodo ſubſeruiant.
Idq; adeò non ineptè heri expertus loquor.
Nam fortè pauper, inops, hinc inde obambulans,
Quærensq; cui fraude & dolis imponerem,
Sumptu ſuo qui me ocioſum paſceret:
Nabalem inueni, in hac qui habitat vicinia,
Hominem, quo, diſpeream, magis ſi plumbeum
Magisq; effrontem totus orbis ſuſtinet.
Hic opibus & fortunæ donis ebrius,
Extolli mirè gaudet & laudarier.
(Opus qui nullum laude dignum fecerit
Vnquam) viri ſed mox notaui amentiam.
Adeo, ſalutoq; nimis illum humaniter,
Narro quæ famā nuntia cognouerim,
Eius quæ virtutes vbiq; prædicet.
Affingo multa, ipſum vt probè cognōſcerem.

Cognoui,

Cognoui; vah betaceum, ficulneum,
Vinoſum, imprudentem, rei domeſticæ
Concoctorem: lucrum ſed hinc vberrimum
Mihi eſt obortum. Nam vocat me mox domum:
Monſtrat quæ poßideret, atq; vt ſingula
Placeant, rogat: dico placere plurimum;
Fœlicem, diuitem, beatum prædico.
Feſtinus ille mox parat conuiuium.
Inuitat vt bibam, bibo, ſed nil nimis;
Poſſem vt meam melius peragere fabulam.
Nunc vina laudo, laudo nunc & fercula.
Deniq; probo quæcunq; probabat omnia.
His captus eſt, mox vt me amicum diceret
Summum, conuiua & vt rogaret hodie
Redirem: redeo, nec inuitus: ſententia
Siquidem ſtat, illius colere amicitiam
Adulando, fructus ſed vt inde maximus
Ad me redeat ſemper. Sed heic quis exijt?
Certe ipſus eſt: hinc conferam me ad dexteram,
Fors ne quid horum me dixiſſe audiuerit.
Opes ſuas (ſat ſcio) iactabit inſolens.
NA. Quis non fœlicem me & beatum dixerit?
Cui tot eſt argenti & auri conditum,
Et cui ridens fortuna amicos plurimos
Peperit: ſed vnum quod moleſtat maxume

Eſt vxor, hiſce non reſpondens moribus.
Nam dum rem curat hæc nimis domeſticam,
Et cæteris mulieribus verſutior,
Me moribus ſuis ſimilem vult reddere,
Multa interturbat vſq; nobis gaudia.
Sinam tamen vt ſapiat, modò vt die hoc ſinat
Meo me more inter ſodales viuere.
Sed eſt ne Glycylogus, quem ſtare conſpicor
Illic? Glycyloge, quid moraris hæſitans?
Adeſto. GL. Quis me? Hem, ſalutem plurimam
Suo fautoriq; & patrono maximo
Glycylogus optat. NA. Bene facis qui veneris
In tempore: quid? heſterna ne compotatio
Arriſit, & quæcunq; vidiſti domi
Noſtræ, tibi quæ tum lubens monſtraueram?
GL. Imò recedens dum recordor ſingula,
Sic menti inſedit iſta contemplatio,
Vt dormienti ſæpius recurrerit.
NA. Sed dic: vidiſti vnquam, quod iſtis conferas?
GL. Non, ita me Deus amet, nec me facilè puto
Videre poſſe, ſic foris palatium
Quadrato ſtructum marmore, & duro nitet,
At intus auro cuncta latè fulgurant.
Virum hæc ſolertis prædicant induſtriæ,
Qui tanta prudenti paraueris bona

Studio. NA. Paraui multa certe gnauiter.
Luſum, iocumq́; ſed hæc dices, ſi videris
Feracis agri multa latifundia,
Vineta, prata, piſcinas, & paſcua,
Monteſq́;, ſyluaſq́;, & pecoris læti greges.
Quos inter ouium paſcuntur tria millia,
Et mille totis errant capræ montibus.
Accedit his vernarum maxumus chorus,
Queis fretus, & ſi quando ſic neceſsitas
Ferat, vel hoſtium manus repellere
Poſsim, veluti feciſſe legitur Abraham.
GL. Vt his queas præeſſe, miror plurimum,
Et tanta ſolus ſuſtinere pondera.
NA. Datum eſt mihi præ cæteris mortalibus
Illud, cedant vt cuncta fœliciſsimè:
Adhæc etiam, grata vt ſint quæ facio omnia.
Quare licet nil ipſe mandem ſeruulis,
Et rem domus conſiderem parciſsime,
Sponte tamen omnes exequuntur munera
Sua ſtudioſe, ne meam iram prouocent.
GL. Nec immeritò certè. NA. Sed & rex ſæpi-
(Si forte vult tractare magna negotia) (us,
In aulam, vt adſim conſulentibus, vocat.
GL. Nimirum vt illis morionem præbeas.
NA. Nam libere quia facio, & dico omnia,

Hac regem libertate demereor mihi.
GL. Quid miru igitur, ſi cuncta cedant optimè,
Cum tales regni rebus adſint proceres?
NA. Sed audias precor, quid nuper egerim,
Ex vno vt omnia mea conſilia æſtimes.
Noſtine Dauidem? GL. Quid? an Bethlemide
Illum dicis, communis hoſtem patriæ
Et regis? NA. Illum ipſum: Cupiebat rex dari
Conſilium, vt hunc vi poſſet apprehendere.
Mox ſinguli, cùm ſe ſapientes dicier
Volunt, neſcio quæ proferunt inſomnia.
Hinc me, quid ipſe ſentiam, princeps rogat.
Damnaui aliorum ego illico ſententias,
Suaſiq; vt rex quàm primum omiſsis omnibus,
Suam, quam Dauidi locaſſet, filiam
Locaret alteri viro: nam ſic fore,
Vt Dauid huius impatiens ſponte veniat,
Peccaſſe ſe dicens, rogans & ſupplicans
Se ſuaq; regis ſubijciens arbitrio
Omnia, ne tali coniuge miſer excidat.
Sed vt placere cœpit hæc ſententia
Multis, mei mox conſobrini filium
Laudare cœpi, diuitem atq; nobilem
Dicens, aliosq; ſimul rogaui clanculum,
Suis vt illum principi ſuffragijs

Commen-

Commendent: nec dubito, quin illi filiam
Sit rex daturus coniugem: tantum vnicus
Ne impediat hoc Phaltes metuo, quem rex amat.
GL. Tuum ergo conſilium eſt, vt hic intelligo,
Suam quod amiſit Dauides coniugem?
NA. Meũ. GL. Deum immortalẽ, q̃d nũc audio
Admiror hoc qui in mentem venerit tibi.
Iſtuc ſapere eſt, rebus præeſſe publicis
Sic, vt tuum quoq; inde capias commodum.
Et ſi ſapit rex, te affinem non negliget.
NA. Sed vt ſcias, cur hodie te vocauerim,
Lanigerum tondent paſtores pecus mihi.
Conuiuium quare parari ſplendidum
Amicis, & toti volo viciniæ.
Id pro tuo ingenio velim probè inſtruas,
Vt læti lætum tranſigamus hunc diem.
GL. Nihil equidem poſſet mihi ſuauius
Contingere, quàm ſolertiam vt hic noris meam:
Illius cum ſim maxumus rei artifex.
NA. Abi ergo, & iſta ſeruulis denuntia,
Vt quæ in regali cernier conuiuio
Solent, cito & dicto celerius proferant.
GL. Faxo meam vt poſſis probare induſtriam.
O fors fortuna, quàm meis nunc partibus
Aſtas fidelis: precor vt hæc ſerues bona.

Nam digna me plane obtigit prouincia.

ACTVS I. SCENA II.

ARGVMENTVM.

Glycylogus ſeruis,ut conuiuium parent,imperat. Incidũt ſeruorum colloquia,quorum alij,ut hoc genus hominum fert, hero detrahunt. At Pyroptes,fidelis ſeruus, eiuſdem honori patrocinatur.

PYROPTES Cocus. PHILOENVS, & OPSOCLEPTES ſerui. GLYCYLOGVS.

PYR. *Nouus Philœne qs hic ad nos hoſpes ue-*
Neſcio meis ſi hũc oculis vnq̃ viderim. (nit?
Miror quid huc ſic geſtiens ferat gradum.
PH. *Nimirũ herus noſter nouũ aliquem repperit,*
Sui ſimilem,mendacijs qui faſcinet
Stultum,& confictis ludat vſq; fabulis.
OPS. Lurconẽ ego hunc & helluonem exiſtimo:
SIC dignum habebit herus patellæ operculum.
PYR. Quin ſinitis hæc,ne qs alius forte audiat.
Nam ſint licet culpanda in hero quàm plurima,
Fidelis eſt ſerui tamen,non carpere
Mordaciter,quoſcunq; ſors dederit,heros.
NAM quiſq;,quam commiſerit,culpam luet.
Faciat quodcunq; volt herus:tum concoquat

Pecu-

Pecunias,domum,greges, & prædia:
Noſtrum eſt ei ſeruire quàm fideliter,
Famamq́, eius ne verbulo perſtringere.
GL. Saluete fratres,exoptata pectora,
Quid fit? PYR. *Statur. Sed tu qd huc fers inſolẽs?*
GL. Summus meus patronus & amicus Nabal,
Heruſq́, veſter, hoc mihi negotij
Iniunxit,ut per vos parem conuiuium,
Regale,ſumptuoſum, opiparum,ſplendidum.
Ea in re quid poßim vult experirier.
Nam ſunt vocati amici,& hæc vicinia
Omnis:quare accelarare vos quàm maxumè
Velim,parata vt ſint decenter omnia.
Mactentur & capi,& ſi qui ſunt anſeres,
Parate turdos, & lautas ficedulas,
Et ſi quid è ſyluis poteſt adducier.
Quin huc genus feratur omne piſcium.
Tum ſi quis è veſtro grege noua poßiet
Et viſa nunquam antehac reperire fercula,
Non parcat arti,non ſumptui,aut laboribus.
OPS. Papæ,Iouis cur non cerebrum admiſcerier
Iubet? PYR. Nihil amplius te iußit dicere?
GL. Hoc vnum, vt omnia relinantur dolia,
Vinumq́, depromatur antiquißimum,
Quod inueniri in cella poßit vſpiam.

PYR. Faciam, vt herus de me queri poſſit nihil.
PH. Et ego, ſiquidem hæc illius eſt ſententia.
GL. Abeo: ſatis ſed dicta vt hæc vobis ſient.
Cauete, ne quid horum fortaſſe excidat.
OPS. An non quis eſſet hic qualisq; dixeram?
Mirum, ſi alio herus poſſet oblectarier.
Pereat neceſſe eſt, qui ſuas res talibus
Credit: tamen vt pereat, moleſtum hoc eſt mihi,
Nouos quod indies dari experior heros,
Quorum nouis parere oportet legibus.
PYR. Neſcis tacere ganeo, donec caput
Hoc improbum iſthoc cochleari exterſero.
Quin nunc focus fac totus vt pelluceat.

ACTVS I. SCENA III.

ARGVMENTVM.

David cum Abiathar de exilij ærumnis colloquitur: ſic ut ille quidem boni principis, hic uero fidelis antiſtitis typum præferat.

DAVID. ABIATHAR ſacerdos.

DA. Nulla integra eſt mortalibus fœlicitas,
Quin plura ſemper incidunt incommoda.
Id vel meo (ſi nullum extaret vſpiam
Aliud) probari exemplo poterat. En ego
Aſſertor olim gentis Abrahamicæ,

Hominum fauore, laude & gloria potens,
Regis gener, quem tot greges ſodalium
Stipare ſolebant, ſe ſuasq́ credere
Mihi fortunas, & meas partes ſequi,
Quantis miſer nunc obruor infortunijs?
Nam regis vt ſemel fauor mutatus eſt,
Mox omnium mutata vidi pectora:
Vt è tot amicorum & ſodalium choro,
Meo fauore quos beatos feceram,
Vix vnus aut alter mihi remanſerint.
Nunc quàm bene dictum ſit miſer ego intelligo,
ARVNDINI niti quaſſatæ & fragili,
Quicunq dubio hominum fauore nititur.
AB. Et hoc quidem te cogitare ſæpius
Dauid, velim, minus vt mouere te queant
Mortalium res inſtabiles & lubricæ.
Nec fallet enim, qui tot promiſsionibus
Inſtruxit olim, cum ſit ipſa veritas.
DA. Quàm facile qui valent alijs præſcribere
Poſſunt ſolentq́, quid ipſis facto opus ſiet.
Memini miſerorum me patronum ſæpius
Fuiſſe, meisq́ conſolationibus
Olim leuatos, quos premeret neceſsitas.
At nunc video, caro quid poſsit improba,
INVITA quæ via, quam alijs monſtrauerat,

Ingreditur. AB. Haud ignoro:nec te plumbeum
Volo,vt mali nullum dolorem ſentias.
Sed vt Dei promiſſa ſerues firmiter,
Eiusq; leges ſedulo cuſtodias.
Non hoſtis vt te vox minacis terreat,
Nec exilij curæ aut graues moleſtiæ,
Nec quæ ferenda aliâs veniunt pericula
Moueant,Deo vt velis minus nunc obſequi.
Sed nec tuæ putes rationis opus fore,
Vt liberationis inuenias viam,
Hanc quippe Deus inueniet:huic ſubmittere
Nos conuenit:Ipſe pro ſuo hæc arbitrio
Regat,& opem(ſi ſic placet)vſq; differat.
PATRIS tamen haud abijciet ingeniũ pij,
Nec vltra,quàm ſimus ferendo,nos ſinet
Tentarier. DA. Bene tu quidem:quin ſæpius
Expertus ipſe illius ſum clementiam.
Nec dubito,quin talis ſit etiam in poſterum
Futurus:at cur non doleat quàm maxume
Cum miſera gentis facies occurrit mihi,
Quæ dira infælix perditur tyrannide?
Venale ius tribunal omne poßidet,
Et perditorum ſubiacent libidini
Leges hominum,quibus licet quicquid libet.
Clamat ſub his afflicta pauperum cohors.

Clamant peregrini, lachrymantur orphani,
Et ſancta triſti iura voce poſtulant.
His ſubuenire nec ipſe, nec aliquis alius
Poteſt: id verò animum excruciat totum mihi.
AB. Eſt hoc quidem officium fidelis principis
Quin ſic tuos curare perge ſubditos,
Et mox Domini opem te iuuantis ſenties.
DA. Tum vero nunq̃ non miſero occurrit mihi:
Immane Saulis & nefarium ſcelus:
Quo propter infœlicem me necarier
Dei ſacerdotes ſacriq́; præſides
Cultus voluit. Ah quos reſeruor ô Deus
In caſus? num parum eſt quod ipſe periclitor,
Niſi etiam alios mea hæc ruina deprimat?
AB. Si Saulis has ſciremus omnes res geri
Solius & potentia atq; arbitrio,
Doloris eſſet nobis cauſa maximi.
At cum Dei, qui rebus omnibus præeſt.
Permiſsione fiant: qui nos obſecro
Sumus, huius vt iudicia reprehendere
Poſsimus? Ipſe quid ſiet nobis opus
Intelligit, curatq́; nos fideliter.
Quare quod ipſe vult agat, nos fortiter
FERAMVS omne, quod ferendum venerit.
Sed quid Ioab feſtinus illic aduolat?

DA. *Nimirum aliquid recentis ille nuntiat*
Mali:ſed huc nos conferamus paululum,
Vt audiamus quid ſecum demurmuret.

ACTVS I. SCENA IIII.

ARGVMENTVM.

Ioab milites in caſtris obfamẽ tumultuari nunciat. Hinc *de legatione ad Nabalem mittenda fit conſultatio.*

IOAB *Dux militum.* DAVID.
ABIATHAR *ſacerdos.*

IO. *Quàm temere de vitæ ſuæ moleſtijs*
Queruntur, in tuto quibus verſarier
Licet, & ſuis quotquot quieti ſedibus
Fruuntur: Id ſi vel ſemel contingeret
Videre, ut oppreſſa hoſtium tyrannide
Diuinitus promiſſo regno auunculus
Poſſet potiri, noſq; quietos reddere,
Tum viuere me & verè beatum dicerem.
Sed num id liceat ſperare vix intelligo,
Dum in peius omnes res ſubinde promouent.
Nã nunc quaſi parum ſit, quod hoſtis imminet
Saul, noſtri perſecutor immaniſſimus,
En noſter in caſtris nouas turbas ciet
Miles, inopia commotus intolerabili.

Et

Et ſic furit, vt me ſponte eis ſubduxerim:
Ne dum reprimere conor implacabiles,
Maioris author forte ſim iracundiæ.
Idq́ adeo veni nunc Dauidi vt nuntiem.
DA. Vocemus: Heus Ioab, gradum ſiſte illico.
IO. Satis imperioſe quiſquis es. DA. Ioab mane.
IO. Familiarē eſſe oportet: Hem, quis me vocat?
En quos volebam: vos vt adirem prodij.
DA. Quid fers? IO. Nihil equidē quo delectarier
Poſsis: ſed id quod ante dixi ſæpius,
Et quod diu male timui. Nam milites
Totis tumultuantur in caſtris tibi:
Nec ſe, famemq́, pauperiemq́ perpeti
Diutius vel poſſe vel velle queruli
Clamant: & ſi recte iſta perſpexi modo,
Defectionem res mihi portendere
Videtur: id ne fiat, nos in tempore
Cauere oportet, ne grauius quid incidat.
DA. Num quis miſerior me viuit mortalium?
Cui noua indies pericula accidunt.
IO. Non iā quiritandi tempus eſt, quin re integra
Adhuc, quid agendum conſultemus ocyus.
DA. Quid ergo ſuades vt faciamus nunc Ioab?
IO. Vicinus hic Nabal, vir opibus affluens,
Conuiuium ſuis parat tonſoribus,

Rega-

Regale, iamq́, puto parata eſſe omnia,
Is ſolus hac in re miſeris ſuccurrere
Poteſt: ad hunc mittantur è noſtris viri,
Qui mitioris ſint ingenij, & blandius
Hunc alloqui poßint, rogentq́, paucula,
Quibus hoc die ſedare poßis milites.
Fortuna melior, ſpero, ſurget craſtina
Luce, interea nos de reliquis curabimus.
DA. Nomen metuo, ne ſit minus læti ominis.
Sed cum nihil ipſe, quod magis ſit commodum,
Videam, tuæ aſtipulor volens ſententiæ.
Quid tu Abiathar cēſes? AB. *Placet quā maxume*
Cum res moram non poßit aliquam admittere.
IO. At frater huc venit Abiſaus, fidelior
Quo nullus inueniri huic negotio
Poſſet, vel idoneus magis. Dimeter.
Huic rem, fideliter ut curet, mandabimus.

ACTVS I. SCENA V.

ARGVMENTVM.

Abiſaus mandatis ad Nabalem perferendis inſtruitur: inde itineri ſe præparaturus in caſtra reuertitur.

ABISAVS. DAVID. ABIATHAR
ſacerdos. IOAB.

ABIS.

ABIS. *Prouiſo fratrem ſi inueniã, quẽ milites*
Omnes petunt, præſens vt ipſis adſiet.
Qui niſi me animus fallit, graue nobis omnibus
Malum dabunt, ſi ſic furere perrexerint.
Sed commode ipſum cum Dauide conſpicor.
Adibo. DA. *Hem opportune venis, de te modo*
Sermo fuit. ABIS. *Et vos cõmode heic ſors obtulit*
Mihi: Ioab te miles omnis poſtulat,
Cuius niſi furorem cito repreſſeris
Aliquo modo, malum (mihi crede) ſenties
Ingens, cui nunquam mederi in poſterum
Licebit. DA. *illud vnum agimus pro viribus.*
Quin iam via eſt inuenta, quæ nos liberet,
Cuius ducem executoremq́ poſcimus
Te. ABIS. *Si quid eſt, mea quod effici queat*
Induſtria aut labore, libenter obſequar.
DA. *Nabalem ne hunc Carmeli montis incolam*
Noſti? ABIS. *Quid is faciet?* DA. *Hic adeũdus*
Erit illico. Nam conuiuium tonſoribus *(tibi*
Parat: noſtroq́ nomine hunc precaberis,
Vt ſubuenire miſeris atq́ egentibus
Dignetur, & vel in hunc diem largirier
Nobis, quæ animos ſedare poſſint militum.
ABIS. *Dic obſecro, num illũ daturũ aliqd putas?*
DA. *Quid ni? Vir eſt diues potensq́ plurimum:*

Nec cur neget video, cum nullam iniuriam
Sit paſſus à nobis: ſed illi ſæpius
Profuimus, eius res perinde vt proprias
Tuendo, cuius forſitan non immemor
Faciet volens feciſſe quod ipſum conuenit.
ABIS. E pumice facilius aquas expreſſeris,
Vnam quàm ab hoc, Dauid, panis buccellulam,
Si vera ſaltem illius dicunt ſeruuli.
ABIA. Qui ſcis Abiſaë, niſi periclum feceris.
Sit durus in ſuos licet, & nimium grauis,
Non idem in exteros tamen videbitur
Fortaſſe: tum illud cogitare te velim,
Deum eſſe qui hominis cor ſua verſet manu
Quocunq; volt; ſuo qui nobis numine
Aderit, & omne hoc diriget negotium
Fœliciter. ABIS. Faciã, ne quid de me queri
Poßis, ſiquidem hæc vobis ſic ſtat ſententia.
DA. Facis vt decet: aderit Deus. Sed quid Ioab
Nunc porrò agendum cenſes? IO. In caſtra illico
Redeamus, vt legationis quos velit
Sumat ſodales ſibi: Tum ne quid milites
Noui interea tentent, nos prouidebimus.

ACTVS II. SCENA I.

ARGVMENTVM.

Duo Nabalis ſerui ruſtici de conuiuij apparatu colloquun tur: quorum alter ruſticanos mores, & ingenium diuitum fortunis inimicum, ac paupertatis impatiens exprimit: alter uero fidelis ſerui, & ſortem ſuam uere agnoſcentis typus eſt.

GEORGVS, PHILOPONVS,
ſerui ruſtici.

GE. Hodiéne tonſurā gregis Nabal parat?
PH. Quin iā parata ſunt, vt audio omnia
Nec ſumptibus maioribus conuiuium
Vnquam hoſpitibus ſtructum eſſe quidam retulit.
GE. Sed ſcin' vocati qui nam ſint illi hoſpites?
PH. Certi quidem nihil ſcio, niſi quod puto
Non fore alios, quàm qui illi ſemper combibunt,
Philopoſium, Gaſtroden, & Dyſigamum.
Iungetur his vicinitatis gratia
Eubulus hic; vir diues, & plane integer:
Quamuis eo non valde delectarier
Soleat herus. GE. Quid ergo nobis commodi
Hic apparatus afferet tam ſplendidus?
PH. Rogas? Tonſores nos uocamur hodie,
Et in tonſuræ gratiam conuiuium

Paratur: illis vero compotantibus,
Inter laborandum nobis fameſcere
Licebit. GE. O iniquitatem, ô tempora.
PH. Quid ita? GE. Rogas? Illi noſtris laborib⁹
Cum diuites fiant, beati & ſplendidi,
Nulla mouentur pauperum atq; egentium
Cura, qui illorum ſunt beatitudinis
Præcipua cauſa: quin ſuperbi atq; ebrij
Fortuna, nos vix belluarum habent loco.
Numoq; conductos laboribus premunt,
Imò opprimunt, vt toto exhauſti corpore,
Vix oſſa pelle contegamus arida.
PH. Sic comparatum eſt mi George, ſic Deus
Noſtram coërcere ſolet inſolentiam.
Et tu feras patienter, quod mutarier
Nequit. GE. Egóne Deũ ſic velle hæc exiſtimẽ?
Erras Philopone, ſi hoc putas: quin hic amat
Nos, & beatos vellet, vt docuit heri
Antiſtes è ſacris prophetarum libris:
Quem concionantem ſi audiſſent diuites,
Puderet hos in poſterum arrogantiæ.
PH. Vt pulchre commodo tuo quæ ſeruiunt
Tenes? ego paterni amoris æſtimo
Signum, quod his nos vult Deus moleſtijs
Affligi, vt qui nos norit omnium optume.

NAM

NAM Filios præ cæteris quos diligunt
Fida patres virga coërcere aſſolent.
GE. Dicunt quidem iſta diuites quoq;:ſed ego
Ipſos potius virga coërcendos putem;
Ne tam graui nos aggrauent tyrannide.
PH. Te rogo, quid illis faceres, ſi tibi Deus
In hos daret imperium? GE. Egon' dicam libere,
Rus abſtraherem hinc, rurisq; illos moleſtijs
Aſſueſcere docerem: ſic vt qui nunc nimis
Superbiunt argento & auro turgidi
Tam excoctos, deformes & atros redderem
Quàm carbo eſt. PH. Quid ſi vero iſtis laboribus
Non ſufficerent? GE. Vel inuitos compellerem,
Vt ſufficere poſſent. PH. Vide George mi,
Quàm tu nihilo ſis melior. Illi quod putant
Nos poſſe, iubent: tu magis iniquus perdere
Hos cupis, idemq; quod tibi in illis diſplicet
Ipſe faceres, ſi poſſes. Sed quid oſtium
Crepuit? herus eſt: ego hinc me in agrum conferã.
Quid tu? GE. Sequar: nec enim videat me herus
Edant, bibãt, ludantq; prout lubitũ ſiet. (volo.
Scio fore, cum ſera illos pœnitentia
Vrat, graui quando dolore perciti
VLTORIS audient Dei ſententiam.

ACTVS II. SCENA II.

ARGVMENTVM.

Aduentant Nabalis conuiuæ de heſterna crapula confabulantes. Exprimuntur ebrioſorum mores, & friuola corundem colloquia.

NABAL, GLYCYLOGVS, PHILOPOSIVS, GASTRODES.

NA. *Procedit hora, & medium cœli cardinem*
Ferè ſol attigit: miror quid hoſpites
Tardos moretur, tum Glycylogus vbi ſiet.
Viſam, ne quid fortaßis intermiſerit.
Sed commodum procedit obuiam mihi.
Glycyloge, te quæro. Paraſti vt iuſſeram
Conuiuium? GL. Quin nunc adeſſe maxime
Velim hoſpites: nocet mora iſta ferculis.
At qui ſunt, quos procul venire conſpicor?
NA. Sunt quos vocaui: tu coquis edicito,
Vt ocyus, quæ fieri oportet, omnia
Faciant, ipſi ne quid morentur amplius.
Ego hos operiar. GL. Fac vt libet, in me mora
Non ulla fuerit. PH. Nabalem noſtram ægrius
Moram pati credo, vt qui heri nimium bibit.
Nec dubito, quin dubia caput grauedine
Ipſi doleat. GAS. Quid illi acciderit neſcio.

Mihi profecto nondum edormiſſe videor
Vinum, quod heri bibi nimis: caput etenim
Totum Cyclopes, neſcio qui, duriter
Quaſi alternis ſubinde vexant ictibus.
Sed ipſus ecce nobis obuiam venit.
NA. Hem Philopoſi lepidū caput, hē Gaſtrodele
Ventris decus, quæ vos diutius mora (xume
Tenuit? GA. Vin' vt verū tibi dicā? NA. Ma-
GA. Heri cum à menſa ſurgerem, mihi ſobrius
Pulchre videbar: ſed progreſſus vt fui
Paulum, ecce mox nec lingua, nec pes, nec manus
Mihi officium fecit, caputq; pondere
Preſſum graui, toti ruinam corpori
Minabatur: quare domum me conferens
Molliq; tremulum corpus mandans lectulo,
Stertens iacui in multam diem; nec tamen adhuc
Totam videor edormiuiſſe crapulam.
Idem Philopoſio accidiſſe exiſtimo.
PH. Imò accidit, quod nulli vnquam mortaliū,
Quod, nî vos nouiſſem, puderet eloqui.
NA. Dic obſecro. PH. *Forte vt domū veni, fores*
Clauſas reperi: pulſo, nemo eſt qui me audiat.
Iratus igitur, ſed nequicquam, clamito,
Nunc ſeruulos, nunc coniugem nomine vocans,
Poſtremo, tum non poſſem id ferre diutius,

Ingreſſus haram, interq́ ſues ſuauiter
Somno victus viliq́ tectus ſtramine
Nocte tranſegi. NA. Vah hominis miraculum.
Quid ſi iacentem ſic vidiſſet Rachula
Tua? PH. Stabulum certe occluſiſſet peſſulo,
Nec inde dediſſet exeundi copiam,
Niſi fidem ſancte dediſſem, in poſterum
Me victurum eſſe multo temperantius.
Eubulus autem vbi eſt? vbi Dyſigamus?
Num præuenere nos diu? NA. Dyſigamus
Fortaſſe cum ſua altercatur coniuge:
Sed mox aderit, ſcio: Eubulus negotijs
Semper premitur, morasq́ nectit, dum cupit
Sapiens videri: nec diu expectabimus.
At ingredimini vos: ego nunc videro,
Nobis parata in tempore vt ſint omnia.

ACTVS II. SCENA III.

ARGVMENTVM.

Abiſaus duobus ſocijs comitatus Nabalis domum adit, ut commeatum ab illo poſtulet. Inter eundum de uitæ militaris conditione dura & periculoſa colloquuntur.

ABISAVS. SPHENDONITES. OCYMACHVS.

AB. Quàm dura res eſt, atq; plena periculi
Si quis fidelem, ſtrenuumq́ militem

Præ-

Præſtare velit: pauci licet id digne æſtiment.
SPH. Sic comparatũ eſt, VT ſuæ ſortis ferè
Omnes pigeat, aliosq́; ſe fœlicius
Viuere putent, dum quæ ipſis accidunt mala
Attentius obſeruant, bona vero non item.
Hinc militum vitam beatam prædicant
Multi, quibus quid huic ſubſit moleſtiæ
Periculiq́; incognitum eſt: qui ſi ſemel
Hanc cogerentur vitam agere: benignius
Et æquius multò de nobis diſcerent
Sentire. OC. Meo certe malo illud comperi.
Nam cum iuuenis eſſem, & patri minus obſequẽs,
Durum videbatur mihi, & nimis graue
Quicquid iubebat, ſiue oues in paſcuis
Seruare, ſiue equos, bouésue quærere,
Siue aliud opus quodcunq; ruſticum mihi
Iniungeret. Tum forte ſi quem militem
Videre contingebat, hunc beatius
Agere putabam, liberiusq́; viuere,
Ignarus horum, quæ ferenda talibus
Veniunt, meo ſed nunc malo edoctus probo
Quæ vulgo paſſim celebratur, ſententiam,
Qua BELLVM inexpertis ſuaue dicitur.
SP. Idem mihi accidiſſe non negauero:
Tamen vt vt hæc ſient, certum eſt prouinciam

Hanc, quæ obtigit, quoad poſſum, fideliter
Ornare: nam potius mala omnia perpeti
Velim, Dauidis quàm partes relinquere.
Regnum ſiquidem promiſſum olim diuinitus
Accipiet, inuito tyranno, & omnibus
Suis: quod vt primum fiet, quæ gaudia
Et quanta laudis nos manebunt præmia?
AB. Bene tu quidem, mihiq́ eadem ſententia
Stat, nec procul diem iſtum abeſſe exiſtimo,
Iamq́ affuiſſet olim, nî manſuetior
Auunculus eſſet Dauid in aduerſarios.
Namq́ hos licet Deus necandos offerat,
Quod facile poſſet non facit, nefas putans
Si quos Dominus vnxit, ſuiq́ principes
Populi eſſe voluit, ipſe priuata manu
Occidat: atq́ hæc cauſa nobis maxima
Eſt, tamdiu quod incertis compellimur
Errare miſeri ſedibus: Sententia &
Mens longe alia eſt mihi: meas nam ſi in manus
Solius incideret tyrannus improbus,
Facerem, vt qui oleo male vnctus eſt prophetico,
Suo melius inungeretur ſanguine.
OC. Mihi ſane tali intereſſe negotio
Tam ſuaue foret, quàm ſi quis ad lautiſſimum
Conuiuium vocaret: at dum hos cedimus

Sermo-

Sermones, quod nobis datum eſt negotij
Cunctantius perficitur. AB. *Quin in proximo*
Nabalis eſt domus: tamen ſi ſic placet
Properemus ocyus. Verſus hic initio ſequentis Scenæ abſoluitur.

ACTVS II. SCENA IIII.

ARGVMENTVM.

Nabalem miſsi à Dauide legati conueniunt. Amice commeatum petunt. Reijcit hos Nabal inhumaniter, hominis ſordidi, & omnis conſilij uacui typum gerens.

NABAL, SPHENDONITES, ABISÆVS, GLYCYLOGVS, OCYMACHVS.

NA. *Parata ſunt coquis*
Quæcunq; iuſsi, ſolus nobis in mora eſt
Dyſigamus: Eubulum etenim non multum moror
Quem non niſi vicinitatis gratia
Voco. Sed en, quos huc venire conſpicor?
Nimirum vt aliquid poſtulent, veniunt: ego
Vero cane peius, & angue odi quotquot petunt.
Profecto ſatis huc tendunt militariter,
Armiſq; tecti ſunt: quid ſi Dauidici
Exercitus ſocij eſſent, quem ſub proximi
Montis pedem fixiſſe caſtra rettulit
Heri famulorum quiſpiam: quod ſi ordinis
Eius fuerint, virum profecto ſentient.

SP. Viden' Abiſaë, quis Nabalis ad oſtium
Solus moretur? AB. Ipſus eſt, quin illico
Adimus. Salue Nabal, & fœlix ſiet
Noſter tibi occurſus. NA. Sane id velim.
Sed qui ſitis, quisúe huc venire iuſſerit
Dicite, nec enim tales vocauiſſe hoſpites
Me hodie puto. AB. Venire nos neceßitas
Coëgit, qua NIHIL eſt in orbe durius,
Miſitq́ nos Dauides, filius Iſai,
Cuius labores te nouiſſe exiſtimo. Is
Tibi tuiſq́ ſalua precatur omnia,
Et ſe rogantem vt placidus audias, petit.
Gregis tonſuram te parauiſſe hodie
Audimus, vtq́ moris eſt conuiuio
Totam hanc opiparo excepturum viciniam,
Oramus ergo, vt ſubuenire egentibus
Velis benigne, extrema quos exercitat
Inopia, famesq́: tertius etenim dies
Hic nobis abſq́ commeatu ducitur.
Et ſolus es, qui nos iuuare, ſi velis,
Potes: nec id fruſtra putes nos poſcere,
Nam ex quo ſub his regionibus conſedimus,
Nullam tui à quoquam ſunt paßi iniuriam:
Quin iuuimus frequenter, & defendimus
Ipſos, tuosq́ greges, agros, & prædia:

Nec id negabunt ſeruuli, ſi interroges.
Horum memor famelicis ſuccurrito
Benignus, & quibus carere commode
Poteris, ijs noſtram leua penuriam.
NA. Quem filium Iſai, quemúe Dauidem audio?
Multi indies ſerui fugitiui & perfidi
Heros doloſo, & plane proditorio
Animo relinquunt, hos ſi cunctos paſcere
Velim, meritò ſtultus vocer, & improuidus.
Sed non is ego ſum: quin faceſſite ocyus
Hinc, & alium me ſtultiorem quærite,
Iſtis qui ſe blandicijs ſeducier
Sinat: nec eſt veſtra vt mihi beneficia
Iactetis: hæc ego nec petij vnquam, nec peto.
AB. Modeſtius quæſo de nobis ſentias
Nabal; nec enim fugitiui nos, aut perfidi
Sumus, nec heros noſtros dolo relinquimus.
Sed innocentes principis tyrannide
Vexamur iniuſta; nec eſſe aliquem puto,
Qui paſſus à nobis ſit vnquam iniuriam.
NA. Tun' ergo Saulum principem tyrannidis
Accuſas? voſq́; dicitis iniuſtius ab hoc
Premi? GL. Quid hoc turbæ eſt? iſti qui milites?
Quid hi volunt Nabal? NA. Rogas? Dauidicæ
Sunt factionis nuntij, atq; poſtulant,

Vt quæ paraui conuiuis obſonia
Ipſis famelicis tribuam: qui niſi cito
Cedat, faciam vt diem hunc poſtremum viderint.
AB. Itáne? SP. Sine, nec enim pugnatũ veni-
Dauidi nuntiemus hæc, is conſulet (mus.
Quid ſit faciendum. NA. Quin referte ſingula,
Simulq́ dicite, me, niſi hac vicinia
Mox ceſſerit, facturum ut meminerit mei.
AB. Ten' vt metuamus hominum perditiſſime?
Qui quantus es, caudex es, atq́ plumbeus.
GL. Caue ſis, neſcis cui maledicas nunc viro.
AB. Ego neſciam? Sed ſcin' futurum quid ſiet?
Faciam vt mei, & diei huius ſimul & loci
Memineris quoad vitam Deus conceſſerit.
GL. Miſeret tui, qui hunc facias inimicum tibi.
AB. Diminuam ego tibi caput, niſi abieris.
GL. Siccine agis? OC. Heus cedamus hinc, mox
Non ſupplices reuerſuri, quin ſupplicem (denuo
Ipſum videbimus breui, qui nos minis
His territari credit. NA. Abeunt, nec quidem
Me inuito: ſed quid tu heic agendum Glycyloge,
Si redierint, putas? GL. Tun' id credis fore?
Quin tandem hilares & læti mox diſcumbite:
Nam dum ceſſamus, prandium corrumpitur,
Et qui viri videntur eſſe, maximi

Nebu-

Nebulones ſunt, minisq; vanis territant.
NA. *Fac ergo menſæ vt inferantur fercula,*
Interea me iubente accumbent hoſpites.
Deum immortalem, quæ iſthæc impudentia eſt
Hominum, aut vęſania potius? qui quod libet
Sibi licere putant ab alijs vt petant,
Nefasq; ſummum credunt, ſi quis quid neget.
Sed quid moror hos, cum nil nocere poſſient:
Faciam potius quod Glycylogus ſuaſit mihi,
Vt his omiſſis me parem conuiuio.

ACTVS II. SCENA V.

ARGVMENTVM.

Diſcumbit cum conuiuis Nabal. Accedunt primis Eubulus, & Dyſigamus: è quibus hic uir alioqui bonus & temperans, uxoris improbitate diſſolutior redditur: ille uero ratione & conſilio ualens conuiuij luxum, & potandi ſtudium deteſtatur.

PHILOPOSIVS, NABAL, GASTRODES, EVBVLVS, DYSIGAMVS, GLYCYLOGVS.

PH, *Quid tam diu Nabal moraris hoſpites?*
Certe inſoles facis hoc. *NA.* *Quin inuitus etiã,*
Sed accidit, quo neſciam moleſtius
Si quid tulerim vnquam: quod niſi præſentiæ
Veſtræ peperciſſem, haud ſic abijſſet, ſcio.
PH. *Quid vero id eſt?* *NA.* *Nõ eſt dicẽdi nũc lo*
(cus.

Nam tempus, vt tandem accubemus, poſtulat:
Vnus moratur nos adhuc Dyſigamus.
GA. Ne quid ſuæ intermittat conſuetudinis
Cauet: ſed en ipſum cum Eubulo conſpicor.
EV. Quàm variæ ſunt mortalibus ſententiæ,
Quamq́ varia ſtudia? vt alteri gratum ſiet,
Quod alius horret, & faſtidit maxime.
Sic ſunt, quibus nihil videtur ſuauius,
Quàm ſi dies noctesq́ vini pocula
Exhauriant, quorum ſtudia ſic diſplicent
Mihi, vt nihil perinde vt iſtud oderim:
Vt qui magis rei aſſueui domeſticæ
Operam dare, ocioq́ litterario:
Et vix credas quàm ſit moleſtum nunc mihi
Nabalis ad conuiuium pergere, ſcio
Enim futurum quid ſiet, quod ebrius
Omnes ſuis nos enecabit ineptijs.
DY. Sic moris eſt illi, nec ego mutarier
Hunc poſſe credo: nec tuam ſententiam
Poſſum improbare, ſed quod hanc minus ſequor,
Vxor mihi in cauſa eſt, qua nil moleſtius
Natura rerum protulit: nam iurgijs,
Rixis, probris, pugnis, contentionibus,
Et litibus non abſtinet, donec domo
Me pellat: hinc eſt quod foris libentius

Ago, atq; res, tempusq́; ſic mihi perditur.
Sed en Nabal cum cæteris: fert ægrius
Certe morã hanc noſtrã. NA. Hem, tandẽ & ſero
Adeſtis? EV. Expedire me negotijs (*quidem*
Citius nequiui. NA. Vah ſcio ſapientibus
Nunquam quod agant deeſſe: ſed Dyſigamum
Quæ cauſa tenuit? Vin' vt diuinem? DY. Volo.
NA. Domum reuerſus heri bene potus & ebrius,
Mutam minime inueniſti coniugem tuam,
Quæ irata te pinxit tuis coloribus.
Et vix ab illa te explicuiſti hodie miſer,
Nec niſi fide data, quod ſobrius velis
Redire. DY. Diſpeream, nî verum dixeris.
NA. Satis moræ ductũ eſt, quin nũc diſcumbitis?
Eubule, tu hunc locum tene: tu claudito
Illi latus Gaſtrôdes: at Dyſigamum
Hæc ſella capiet: Philopoſi, tu proximus
Mihi aſſidebis. Heus puer, fac fercula
Mox inferantur, deinde Glycylogum iube
Venire, cui locus iſte commodum vacat.
GA. Quid iſtud hominis eſt? NA. Heri mihi ſe
Mortalium qui viuunt feſtiuiſſimus, (*obtulit*
Nouusq́; in inſtruendis menſis artifex.
Sed nunc volo, vt curis omiſſis omnibus,
Læti diem hunc ducatis: & tu maxime

Eubu-

Eubule, frontis tetricæ phantaſmata
Excute precor, noſtrumq́ te præbe hodie.
EV. Ego vero nomine iſto ad vos me contuli.
GL. Saluos ſit hic aduentus veſter hoſpites,
Et grata ſint, quæcunq; in veſtram gratiam
Meo labore, & diligenti induſtria
Paraui. NA. Hui, quod hoc nouum cibi genus?
GL. Meam probare volui tibi ſolertiam,
Anguſtia quantum temporis paſſa eſt modo.
Hic thynnus eſt Tyrius conditus ſaccaro.
Partem tucetis condij, ſi cui magis
Fortaßis hæc arrideant: tum artocreon
Iſtud placebit opinor tibi, quod carnibus
Fartum eſt ferinis iuſculoq́ melleo
Elixis: mox ſequentur alia, quæ puto
Vidiſſe te nunquam. GA. Nouus & incognitus
Mihi apparatus hic: Papæ quàm ſuauis his
Sapor? GL. Quin hoc cape potius, prædurius
Enim eſt hoc. NA. Vah, nũc demũ viuere uolupe
Quid tu Philopoſi? num placent cibaria (eſt.
Hæc? PH. Mihine? ſtultus dicar, & betaceus,
Dignusq́, qui inſtar aſini paſcar carduis,
Niſi hæc placerent plurimum: Sed poculo hoc
Oportet vt guttur mihi prius colluam.
Tibi ergo Nabal præbibo, quantum voles.

NA.

NA. Quin totum ſi haurias, mora in me non erit.
PH. Ha ha. Viden' Nabal, velim reſpondeas.
NA. Faciam, & volens quidem: tibi carcheſium
Debetur hoc Gaſtrôdes. GA. Proſit plurimum.
NA. Merito quidem vinum ſcriptura prædicat,
Quo homines ſimul Diiq́ gaudent cœlites.
Mihi profectò nil videtur ſuauius
Natura produxiſſe mater omnium.
Eubule, tu quid cenſes? EV. Bene pronuntias.
Sed cogitandum ſimul erat, modum omnibus
Ineſſe rebus, quem excedere nefas ſiet.
Alioqui quod natura mater condidit
Saluti vt ſeruiat, veneni inſtar nocet.
NA. Ah de modo melius poſt diſputabitur,
Vbi ſacietas nos bibendi cœperit.
Quid vero de iſtis iudicas cibarijs?
Vt hæc placent tibi? EV. Placerent optime,
Niſi peregrinum ſaperent, quod placere non
Poteſt. NA. Quid hôc verbi eſt? EV. Vis dicã cla
NA. Volo. EV. Deus rerũ creator omniũ, (riùs
Recte beneq́ & ſapienter iſta condidit,
Quæ cernimus coram omnia: tum quoq́ ſingulis
Gentibus populisq́ liberaliter dedit,
Quibus hanc queant vitam fouere lubricam.
Et ſi noſtræ telluris opes conſyderes,

Præ cæteris eſſe inſtructam fateberis.
Hac nos decebat vti Nabal, & bonis
Patrij ſoli contentos vitam ducere.
Id quia minus facis, probare non queo,
Quod legibus Domini puto contrarium.
NA. Hem concionatorem quis te reddidit?
Quin tu hæc Leuitis & viris propheticis
Tractanda linquis, ex quibus plus millies
Iſthæc audiui: nunc aliud res poſtulat.
Sed quid tibi deſit video. Quid cimbium
Hoc tibi placet, plenum rubentis maſsici?
Iſtud quantum eſt, Eubule, propino tibi.
EV. At ego potius confeſtim me emori velim,
Quàm me ſcientem immodico vino perdere.
NA. Deum immortalem, quanto te prudentior
Sum, vino qui te (ſtulte) perdi exiſtimas.
Quin vnica hac in re mihi morem gere.
EV. Quiduis potius me Nabal facturum ſcias,
Quã hoc. NA. Quæſo ut hoc unũ te exorari ſinas.
EV. Non faciã. NA. Adeòne difficilis rogãtib.
Es? Vnum vt hoc quæſo impetrem, non amplius.
EV. Dicam tibi Nabal breuiter quod ſentio.
Si me hoſpitem cupis tuum, meo ſine
Me more viuere. NA. Quãdo ſic vis, non moror.
Quid tu Philopoſi? num negabis tu quoq;

Quod poſtulo? PH. Vah quē me virū eſſe exiſti-
Egon' vt hanc ſic pertimeſcam cimbulā? (mas?
Hac lege tamen hanc ſumo, vt & Dyſigamus
Hic, poſt eandem vno hauſtu totam abſorbeat.
DY. Seruanda fides erit quam coniugi dedi.
Faciam tamen quod poſſum. GA. Quales iudicē
Vos neſcio: nam dum ſapere præ cæteris
Vultis, video vos plus alijs ſtulteſcere.
Nam quæ (malum) dementia eſt, ieiunijs
Curisq; vos conficere? Ego longe rectius
Mihi vt bene ſit curo, viuoq; ſplendide,
Nec ſentio hinc vllum vel animæ, aut corporis
Incommodum, vobisq; ſum ſapientior
Multò, & habitior. Vos dum cauere ſingula
Studetis, nunquam non periclitamini.
NA. Et tu quidem magis ſapienter iudicas,
Tuæq; potius accedo ſententiæ.
Nam dum licet, nobis viuendum cenſeo,
QVANDO fore ſcio cū fruſtra id tentabimus.
GL. Eadem mihi mens eſt: dum corpus ſufficit,
Vtamur, & fruamur naturæ bonis.
Heus Parmeno, vide coquis quid in mora
Siet, quod tardius parant quæ iuſſeram.

ACTVS III. SCENA I.

ARGVMENTVM.

Poſtquam quæ à Nabale paſſus eſt Abiſaus retulit, David iniuriæ impatiēs cum eodem & Ioabe de uindicta conſultat, ſicq; ad epitaſin uia ſternitur.

DAVID, ABISAVS, IOAB.

DA. Itáne beneficiorum Nabal immemor,
Tam fœda nobis nuntiat conuitia?
AB. Quin te fugitiuū & proditorē dicere
Non deſijt, multisq́; alijs opprobrijs
Et te, & tuos omnes lacerauit improbè.
Adhæc minatus eſt, niſi hac vicinia
Cedamus illico, ſe facturum vt etiam
Cogamur inuiti ſolum mox vertere.
DA. Tu vero quid dixti? AB. Primū rationib.
Quibus potui cauſam tuam & noſtrûm omnium
Defendi, tum precibus animo vt miteſceret
Efficere tentaui: quibus tamen omnibus
Adeo nihil effeci, vt ferocior mihi
Sit viſus & arrogantior multò: nec ab
Illo precibus poſſe aliquid impetrarier
Exiſtimo: Nam ſi furenti cedere
Velis: metu id fieri putat: quod ſi preces
Iungas, ſibi placens, ſuperbit improbe:

Vt

Vt neſciam, ſi illum hominem fas ſit dicere,
Qui adeo nihil hominis ſapit. IO. Ego tertium
Tentaſſem aliquid, manusq; fruſtra ſupplices
Ori impudenti ingeſsiſſem, tum poſtea
Læuam capillis implicans, mox dexterá
Faciem arrogantem illam, caputq; ruſticum
Totumq; corpus plane militariter
Tractaſſem, vt hinc ſciret, quàm non idem ſiet,
Et militem conuicijs proſcindere,
Et meticuloſis imperitare ſeruulis.
AB. Vix continui me, quod niſi periculum
Commune terruiſſet, actum forſitan
Eſſet aliquid. DA. Laudo, ſiquidē factū optume
Abs te eſt Abiſaë: ſed nunc conſulto eſt opus,
Qua milites ratione placemus, quid &
Huic faciamus improbo, qui impune non
Feret impudentis oris inſolentiam.
Tu dic Ioab, quid hic agendum cenſeas.
IO. Nullam moram res hæc poteſt admittere.
Nam longa paupertas famesq; milites
Vexat, nec eſt quo huic queas occurrere
Malo, quare omnis abrumpenda nunc mora eſt,
Et hoc agendum, vt militem coërceas:
Quod commode fiet mea ſententia,
Si quæ Nabal renuntiauit indices.

Ferent profecto hoc omnium indigniſſime,
Volentq́; de hoc mox vltionem ſumere:
Quod ſi furentes & commotos videris,
Nabalis ad domum moue ocyus, & eam
Ipſis diripiendam dato: ſic improbus
Ille meritas pœnas luet, tum exercitus
Habebit, vnde ſuam leuet penuriam.
Nec hic quid alij dicant curandum puto.
Hoſtes habemur, & hoſtes cunctis dicimur,
Nec nos amicorum eſſe dignantur loco.
Quin ergo nos ſatis gerimus hoſtiliter.
Sic ſentient, quid nil meritos ſit lædere,
Et innocentes iure nullo perſequi.
DA. Non temere factum eſt, quod nocere nemini
Hucuſq́; volui: ſic enim innocentiam
Noſtram probare potuimus, quam plurimis
Notam velim: tum nec iuſtum nec fas puto,
Vt principis culpam mali populus luat
Innoxius, qui plus ſatis tyrannide
Huius premitur: At quando mea benignitas
Nil proficit, nec beneficia Nabal mea
Agnoſcit, inſuper & maledictis impetit,
Hoſtemq́; me potius, quàm amicum poſtulat,
Faciam (niſi vires Deus mihi ademerit)
Magno vt ſuo malo iam nunc intelligat,

Quanto

Quanto ſatius foret me amicorum loco
Habere, quàm inimicum ſine cauſa reddere.
AB. Dudum hæc mihi ſententia fuit auuncule.
Nam quid beneficijs certare proderit
Cum ijs, qui beneficia pro malefactis habent?
Quin præcipuam noſtræ calamitatis puto
Tam pertinacis cauſam, quod nimium bonos
Nosq́ erga hoſtes remiſſiores geſſimus.
DA. Peccatum adhuc nihil eſt Abiſaë, & ſi fuit
Peccandum, malo me nimia clementia
Quàm auſteritate peccaſſe aut tyrannide.
Satiusq́ iudico multis nocentibus
IGNArum & inſcium parcere, quàm ſanguinē
Vnius hominis innocentis fundere.
Sed rem ad ſocios referamus, atq́ ſingula
Paremus, huc mox producturi militem.

ACTVS III. SCENA II.

ARGVMENTVM.

Vbi potu plus ſatis incaluit Nabal, *pro ſuo more conuiuis eſt moleſtior.* Opponit *ſe huic* Eubulus, *quem dictis improbis & minis reijcit.* Quare *cum res turbam minetur, conuiuium ſoluitur: à quo* Nabal *ebrius ſurgit, & ſuadente* Glycylogo *ſomno ſe tradit.*

NABAL, PHILOPOSIVS, DYSIGAMVS, GASTRODES, EVBVLVS, GLYCYLOGVS.

NA. *Hem Philopoſi, cur conniuentibus ſedes*
Oculis, quaſi ſopore preſſus? tu quoq;
Dyſigame parum lætus appares: quid hæc
Mutatio ſibi volt? nimirum iurgia
Vxoris iratæ times. Ego perditam
Meam potius vellem Abigaëlem, quàm vt minis
Suis mea mihi interturbaret gaudia.
DY. Nihil equidem de coniugis ira cogito,
Eius quoniam aſſueui rixis, & iurgijs.
Sed neſcio quis languor caput mihi occupet
Totumq; corpus. NA. Si mihi velis obſequi
Facile medebor: hunc ne ſcyphum conſpicis?
Quem præbibente me ſi totum exhauſeris,
Quicquid mali eſt, cedet. DY. Tentabo ſi queam.
NA. Nunc laudo te. Salue liquor ſuauiſſime,
Vnica voluptas, & ſalus mortalium.
Tu corporis morbos, & animi pellere
Soles, grauesq; curas & moleſtias
Tuo ſapore diluis: pereant tibi
Qui male volunt. Hem, cernis vt bona fide
Tecum egerim Dyſigame? tuum eſt vt mihi
Reſpondeas modo. DY. Nolo ſic impleas
Scyphum; nec enim tam plenus erat, cum ſumeres
Tu. NA. Demã aliquantũ, ne tibi me iniurium
Dicas: qd? itáne placet? DY. Adhuc mihi nimiũ

Videtur:

Videtur. NA. Atq; deierare (ſi opus ſiet)
Auſim, amplius bibiſſe me. PH. Quin tu bibis
Tandem? turpe eſt vel propter vnam guttulam
Lites ſerere. DY. Tantundē igitur tibi præbibo,
Quando ita placet. PH. Accipio lubens, tu fac
Nabali, vti pollicitus es, reſpondeas. (modo
DY. Conabor equidē. NA. Sic ne agis? qn ebibe
Totū. DY. Profectò non queo. NA. Non deſinā
Mihi crede, niſi fidem mihi datam liberes.
PH. Nec ipſe ſumam abs te, niſi totum ebibas.
DY. Quin liberum te dico, modo ne cogar id
Quod corporis vires ſuperat facere. NA. At ego
Nunquam patiar bibendo vt me fefelleris.
GA. Ne difficilior ſis in re tam ludicra
Dyſigame, facile eſt enim, quod tam arduum
Tibi videtur. DY. Non neſcis qualis ſiem
Gaſtrodes, at ita nunc meæ ſe res habent,
Vt ſi ebibere totum velim, minime queam.
Quare vnū vt hoc mihi condonetis obſecro. (eſt
NA. *Nunq̄ faciā.* EV. *Quæ tandē iſthæc væſania*
Nabal, ab homine vt petas ꝙ à pecude impetres
Nunquam? ſed te rogo mihi vt reſpondeas.
NA. Si præbibas mihi reſpondebo lubens.
EV. Vah, ſemper animus pocula tibi ſomniat:
Quin aliud eſt, quod nunc abs te ſcire cupio.

Vidiſti ne vnquam inter tuos ouium greges,
Vt præbibendi certamen ſuſceperint?
Vel dic, ſi equos, bouesúe tales videris,
Quales ego vos nunc inuitus conſpicor.
NA. Vah ſtultitiam: iumenta ſunt expertia
Rationis: homines nos ſumus, qui rectius
Ratione ducti iudicare poſſumus
De ſingulis. EV. Quin ſic potius dicendum erat:
Homines ſumus, ſi corporis conſyderes
Formam, & veluti ſublimem vultum ad ſydera
Tollimus, ita rationis vſos lumine
Cæleſtis imitari nos vitæ formulam
Decebat: at quia rationem affectibus
Subiecimus, totamq́ præfocauimus,
Eò redegit nos ſathan dementiæ,
Vt nec naturæ iura, nec leges ſequi
Poſſimus, & multo minus illis obſequi.
Iumenta enim, pecudesq́ ſi obſeruaueris,
Quantum ſatis eſt, quantumq́ natura expetit
Edunt bibuntq́, nec minis nec fuſtibus
Vnquam efficies, vt amplius quicquam bibant
Edántue: ſolus homo naturæ legibus
Minus obſequens eò venit væſaniæ,
Vt ſe ſciens, volensq́ perdat improbe:
Nec ſufficit ſe perdidiſſe, niſi inſuper

Alios

Alios ſimul certamine tam nefario
Perdat. NA. *Quid hæc ad nos? tibi per me licet*
Iumenta pecudesq́ imitari, vel parcius
Quoq́ (ſi lubet) viuere: viciſſim tu meo
Me more viuere ſinas (ſi ſapis) niſi
Forte experiri libeat, quantum corporis
Virtute te præſtem. EV. *Imò facite quod lubet:*
Nec enim huc pugnandi, ſed comedendi gratia
Veni, tibi autem gratias agerem, niſi
Illas mihi deberes tu, qui tam diu
Ineptias veſtras tulerim: nunc me domum
Confero, ne vobis impedimento ſiem.
GA. *Quin ſurgimus omnes, accubituri denuo,*
Vbi ambulando ſatietas excuſſa erit.
PH. *Placet.* DY. *Nec ipſe vos moror.* NA. *Hẽ, ſic*
Sequar tamẽ. qd hoc? caput vertigine (ne ſubito?
Totum rapitur. GL. *Vin me tibi ducem præbeã*
Nabal? NA. *Duce opus eſt ebrijs, mihi non item.*
GL. *Scio: attamen cauere oportet, ne mali*
Quid temere contingat tibi tanto viro,
Quem patria tota vult diu ſuperſtitem.
NA. *Ieſſæus ô ſi ſe vpilio nunc offerat,*
Soliq́ cum ſolo liceret congredi,
Vah, quem virũ me cerneret? GL. *Quin hũc ſine.*
Indignus enim eſt, quo cum manus tu conſeras:

Nec ipſe tibi faceret pugnandi copiam,
Si maximę velles. Quod ſi nunc me audias,
Ad ſomnum te compones, vt ſub veſperam
Refectus, amicis denuo operam dare queas. (cet
NA. *Itáne faciendũ cẽſes?* GL. *Maxime.* NA. *Pla*
Conſiliũ, quin ergo ingredimur. GL. *I præ, ſequar.*

ACTVS III. SCENA III.

ARGVMENTVM.

Philoponus de Dauidis contra Nabalem conſilio certior factus, feſtinus ex agro aduolat herum, ſuosq; præmoniturus. Inter eundum uero ſolus de ſeruorum, qui imprudentibus & ſtolidis heris ſeruiunt, conditione queritur.

PHILOPONVS ſeruus.

SIT dura quamuis res, grauisq́; ſeruitus,
Multi parens laboris, & periculi:
Tamen beatos, fœlicesq́; prædico,
Quicunq; heris inſeruiunt, duris quidem,
Prudentibus tamen, & ratione præditis.
Hi etenim de ſeruorum labore iudicant
Æquius, ijsq́; gratiam aliquando referunt.
At ſi cui mentem rationemq́; abſtulit
Libido cæca, ſiue affectus improbus,
Indignus eſt, cui vel aſini ſubſeruiant.
Talis meus eſt Nabal, cui vix plumbeam
Natura mentem tribuit: namq; adeo nihil

Vt res ſuas inſtituat proſpicit, vt modo
Toti ſuæ domui malum nefarium
Conſciuerit: quod niſi aliquo modo Deus,
Auertat, omnes perijmus. Dimeter.
Id veni, vt hic renuntiem, ſi forſitan
Tanto malo effugij quis inueniat viam.
Quam niſi Abigaël hera inuenerit, actum puto.
Monebo tamen; vt qui volunt ſibi conſulant. Abigael
Sed ipſa commode egreditur: ſubtriſtis eſt
Quantum video: nimirum Nabal ebrius
Turbas dedit heic quoq;. Quod ſi interrogẽ, nihil
Dicet: adeo patienter illius ſolet
Ineptias ferre: Heic ergo quid ſola nunc
Quiritetur, audiam priuſquam colloquor.

ACTVS III. SCENA IIII.

ARGVMENTVM.

Abigaël Nabalis uxor egreſſa ſola de mariti iniquis moribus conqueritur, bonæ matronæ officium ſuo exemplo adumbrans. Huic occurrens Philoponus imminens à Dauide periculum exponit.

ABIGAEL *uxor Nabalis,* PHILOPONVS.

AB. Næ nos miſeras & infœlices admodum
Natura condidit: quæ cum noſtrum genus
Curis, grauibusq; addixerit moleſtijs,
Solisq; ferè duriſsimam prouinciam

Et procreandi, & nutriendi impoſuerit
Mortalium generis: tamen quaſi parum
Feciſſet adhuc moleſtiæ, viros quoq;
Simul dedit, quorum importunis legibus,
Quin etiam iniquis, ſubiacere oporteat.
Neq; tamen hæc quiſquam loqui me exiſtimet,
Vt vulgus hoc ſolet mulierum: quæ quia
Suis ſtudent affectibus, iniquas viris
Præbent ſe, & omnes improbant, dum ſcilicet
Ipſæ imperium exercere cupiunt in viros.
Longe alia mens eſt mihi: namq; viro vt imperem
Tam non peto, vt nihil mihi ſit moleſtius,
Quàm nacta quod ſum talem, qui nil poſſiet
Proſpicere, quod mihi domuiq; ſit vtile,
Vt ſic merito parere me velit ſibi.
Adeo nihil curat, nec quicquam penſi habet,
Modo gulæ, ventriq; ſeruiat ſuo.
Quin venter eſt totus: ſuis quem ſi velim
Coloribus pingere, diem mihi citius,
Quàm verba, dicendiq; materiam putem
Heic defuturam. Sed tamen illud maxime
Dolorem adauget, quod cui credam meas
Curas reperire non queo. Nam ſi foras
Illius efferam vitia: non me puto
VXORIS officio piæ fungi & bonæ,

QVAM

QVAM ferre conuenit mariti crimina
Potius, quiritando, quàm temere traducere.
Vt vero coram ſeruulis aliquid querar,
Quantum video, longe eſt inconſultiſſimum.
Nec enim amplius colent, quem talem nouerint,
Nec, vt decet, res curabunt fideliter.
Vt ipſa nihil exiſtimem eſſe ſtultius
REIq; DOMEſticæ periculoſius,
Quàm coniugum ſimultatem, & diſcordiam.
Hanc ſi incidiſſe cernant vel viliſſimi
Ex ſeruulis, heros proterui ſpernere
Audent, & imperioſe ſemper obloqui.
Quid reſtat ergo, quàm vt patienter omnia
Feram, meoq; in animo ſola concoquam,
Quicquid mali accidit? ne dum inconſultius
Quicquam facio, maioris ſim moleſtiæ
Mihi author, ac vtriq; plus incommodem.
PH. Deũ immortalem, quis muliebri in pectore
Tantum inueniri exiſtimet prudentiæ?
Virum hanc natam eſſe oportuit, ſic proſpici
Rebus potuiſſet melius, & ſalubrius.
AB. Quis hic loquitur? hem Philopone, quid huc
Ades? nihil ne ruri eſt tibi negotij? (inſolẽs
Quid triſtis es? PH. Non temere eſt ꝙ triſtis ſum
Nec temere factũ, quod venire conſpicis (hera,

Me

Me nunc. Nam ſi vnquam conſilio maturo opus
Fuit, cumprimis nunc opus hoc eſſe arbitror:
Adeo in anguſtum ſunt redactæ copiæ
Noſtræ omnes, vt niſi Deus cuſtodiat
Miris modis, actum eſt, perijmus funditus.
AB. Quid vero id eſt? quisúe eius eſt autor mali?
PH. *Herus Nabal.* AB. *Hei me miſerã: ſed dic ta*
Quî iſtud potuerit, qui pedẽ nunquã hodie (mẽ,
Quantum ipſa ſcio, extulit foras. PH. Id neſcio,
Sed hoc ſcio hera, nos illius culpa magis
Periclitari nunc, malumq́ atrocius
Incumbere, quàm antehac nunq̃. AB. Mi Philo-
Dic quid fiet, nec me diutiuſ tene (pone
Suſpenſam. PH. Scin veniſſe ad herũ hodie nun
Quos commeatus gratia tranſmiſerat (tios,
Huc Dauid, in hac qui conſidet vicinia?
AB. Tales equidem nullos vidiſſe me ſcio.
PH. Atqui hic fuiſſe dico ſupplices, & ab
Hero petijſſe, vt ipſorum penuriæ
Conſultum vellet. Hos remiſiſſe vacuos
Non contentus, quin inſuper conuicia
Dira & nefanda contra inſontes protulit.
Idq́ immerito: nam nulla ab his iniuria
Eſt facta nobis vnquam: imò ſi (vt conuenit)
Verum fateri oporteat, meliora ſunt

Meriti

Meriti de herò, de te, & de nobis omnibus.
Nam ex quo ſub his fixere caſtra finibus,
Nos, noſtraq́; omnia non minus quàm propria
Defenderunt, inſtarq́; propugnaculi
Muriq́; fuerunt nobis noctes & dies.
Quare dolet tanta hæc viris iniuria,
Et maxime Dauidi, cuius quæ ſiet
Virtus animi, & quàm fortis illi dextera
Ad arma, neminem neſcire exiſtimo.
Accedit his malum, fames, teterrimum,
Quam nemo miles ferre vult diutius.
Sed quid opus eſt multis? Eò ventum eſt hera,
Vt contra nos omnes armarit milites
Dauid, domum hanc petiturus, vt hanc iniuriam
Vlciſcatur: nec iam cibum aut potum petet,
Sed noſtra corpora atq́; ſanguinem hauriet.
Id ex quodam, qui illius ordinis & loci eſt
Reſciui, eiusq́; nunc adueni gratia.
AB. Vide Philopone, hæc vt mihi vera nunties.
Namq́; vt peccaſſe herum putem imprudentia,
Prudentiorem, & æquiorem iudico
Tamen Dauidem, quàm quod vnius ob ſcelus
Se innoxio multorum ſanguine polluat.
PH. Imò ipſe vidi, hera, iam paratos milites
Totosq́; furentes extra vallum progredi,

Ac ordines inſtruere, queis huc aduolent.
Quare quid heic ſit facto opus mox diſpice,
Niſi perire nos vis omnes funditus.
AB. Videbo ſi quid conſulendo poſſiem.
Ingreſſus at tu ſeruulis renuntia
Parati ad iter vt ſinguli ſient, ego
Mox adero, ſi quæ ſunt agenda peregero.

ACTVS III. SCENA V.

ARGVMENTVM.

Abigaël ſeruulo ne ſe conquerentem audiat amandato conſilium de Dauide muneribus placando init, &c.

ABIGAEL ſola.

NVm quæ mulierum viuit infœlicior
Me? quam tot vndiq; exagitant incommoda,
Vt vnde potiſſimum querendi exordium
Sumam, ignorem. Nam quid vel opes, vel liberos
Deflere prodeſt? cum periculum omnibus
Commune ſit propoſitum, quod nos & domum
Euertat omnem? Hei quos, Deus, reſeruor in
Vſus tandem? cur ſola tot laboribus
Periculisq; nunquam non ſum exercita
In hũc diem vſq;? num vt lachrymabilem domus
Occaſum & infandam ruinam cernerem?
At interim meus ille ſtertit ſtrenue

Vino

Vino madens, & aggrauatus crapula,
Nil penſi habens, nil de futuris cogitans,
Nec ſi excitem quicquam poterit ſuccurrere.
Quid faciam igitur? fugam ne moliar, mihi vt
Conſulam, & illum tantis periculis, ſibi
Quæ ipſius conſciuit, nunc ſinam demergier?
Non hoc faciam. Nam ſit licet dignus malo,
Indigna tamen ſum ego, malum quæ illi ſtruam.
Quin potius experior, furor ne militum
Poßit ſedari, ſi viaticum offeram
Sponte, ac furentes mitigem muneribus.
Nec enim tam inhumanum Dauidem exiſtimo,
Vt nec rationibus, nec donis, nec prece
Placarier poßit. Parabo igitur cito
Panes ducentos, & cados vini duos,
Addam his oues, vuas, ficusq́, & ſupplices
Manus, precesq́, vt iram mitiget ſuam.
Imprimis ô Deus precor vt mihi adſies,
Quò grata ſint hoſti, quæ adorno munera.
Sed quid diutius ipſa mecum hæc diſputo?
Quin ocyus parari mando ſingula,
Ne quid mali grauioris hæc mora afferat.

ACTVS IIII. SCENA I.

ARGVMENTVM.

Producit armatas copias è caſtris Dauid, & Nabalis domum oppugnaturus inſtruit aciem.

DAVID, IOAB, ABISAVS, OCYMACHVS, SPHENDONITES.

DA. Næ ego omniũ mortalium miſerrimus,
In cuius odium conſpirauiſſe arbitror,
Quotquot per orbem totum viuunt hodie.
Vt nec benefactis, nec rationibus alijs
Efficere poſſim, de me vt æquius velint
Sentire, meq́; ſibi amicum eſſe poſtulent.
Sed vt alios omnes ſinam: quid non boni
Et officij in Nabalem contuli? illius
Dum res mea ſeruo cura atq; induſtria:
Is vero dum mihi gratiam debet bonam,
Conuitijs laceſſit, & ceu hoſtem minis
Petit: hæc ne ego diutius feram Ioab?
Nunquam faciam, quin emori potius velim.
IO. Si ſic pergas Dauid, breui conſultum erit
Nobis: nec enim dictu facile eſt, quantum mali
Tua hæc in hoſtes indulgentia dederit.
Habẽt enim proprium hoc tyranni, vt quò magis
Cedas, eò magis timeri ſe putent,

Magisq́;

Magiſq́ ſæuiant: at vbi neq́ metui
Se, nec minas ipſorum formidabiles
Eſſe amplius vident, animo ſibi conſcio
Male perciti ceruos leporesq́ referunt,
Quos tu leones eſſe putabas antea.
DA. Nabalē ergo exemplum faciā, quo intelligāt
Omnes, quid immerentes ſit laceſſere.
Sanctéq́ iuro per Iehouæ numina,
Quæ mihi inimica velim, niſi ante craſtinam
Lucē tàm ipſum quàm omnē ipſius domū & gre-
Confecero totos. AB. Quin igitur illico (ges
Inſtruitur acies, militesq́ prodeunt
Huc? DA. Nōne venire vides? Ioab tu dexterū
Cornu tene, læuum tu Abiſaē ducito.
Ego medium in hoſtem phalanges dirigam.
Videte vt ordines ſeruent, & ſinguli
Signum, quod ipſe ſum daturus, ſedulo
Expectent, nec aliquis ſuo auſit cedere
Loco. OC. Ego cura hac minime opus eſſe exiſti-
Nam neminem fore ſcio, qui venientibus (mo
Se opponat, & pugnantes contra dimicet,
Quin irruimus ergo vndiq́, ne dum in agmine
Struendo ſoliciti ſumus fruſtra, fugam
Ipſi capeſſant, & labor ſit irritus
Omnis. DA. Næ tu imprudenter iſta, ut omnia

Ocymache: Cura mihi, & ſtudioſa induſtria,
Vt ſemper, ita in bello non vtilis modo
Sed & neceſſaria videtur: vbi ſocordia
Partam quoq; ſæpius perdit victoriam.
Nec mihi ſapere videtur, hoſtem qui ſuum
Contemnit. Vt enim dura res neceſsitas
Eſt, ſic timidum etiam ad arma quãdoq; excitat,
Vt & potentiorem contra auſit aliquid.
Sed Sphendonites quò nam ſeſe hinc contulit?
SP. Hem adſum Dauid, nec aliud animo cogito,
Meam quàm vt hodie virtutem probem tibi.
DA. Tu cum Ocymacho tibi commiſſas copias
Partire, funditorum vt alæ cornua
Vtrinq; cingant. At quàm primum conſpici
Hoſtis poteſt, paulum progreſſi ad prælium
Fundis laceſſite, & globorum grandine:
Manum tamen ne conferatis comminus,
Ne pauciores vos plures forte obruant.
SP. Faxim, modo Deus adſit, ne mihi manus
Vel animum defuiſſe poſsis conqueri.
DA. Reliqua, Ioab, diſpone dũ ipſe reuertor huc.
Nam in caſtra me recipio, vt illic ſingula
Curentur, illinc ne mali quid accidat,
Dum nos mouemus illuc. IO. Curabo omnia.

ACTVS IIII. SCENA II.

ARGVMENTVM.

Abigael cum commeatu Dauidi obuiam progreſſa ſuppli cat. Dauid precibus huius motus à cruento incœpto deſiſtit, ſicq́; turba, quæ ingens malũ datura uidebatur, reſtinguitur.

ABIGAEL, SPVDAEVS, PHILOPO-
NVS, DAVID, IOAB, ABISAVS,
OCYMACHVS.

ABIG. Præcedite vos læto gradu, quo ſubſequi
Poßim facilius: cæterum vbi ad montis pedẽ
Ventum fuerit, cum ſarcinis ſubſiſtite.
Tu vero Spudæe, vt nihil omittatur hic
Per negligentiam, vide. SP. Dictum puta,
Factumq́, quod mea arte poßit effici.
Nam ſi meam vnquam induſtriam tibi commodã
Experta es, heic vigilantiorem ſenties
Multo. PH. Faciã ipſe quoq́, ne abs te culparier
Poßim, Deumq́ noſtro huic conatui
Non defuturũ ſpero. ABIG. In hoc certe mihi
Spes omnis eſt ſita: ſolus enim eſt, mortalium
Qui corda manu ſua regit, ſolus nouas
Poteſt voluntates creare, prout velit.
IDEMq́ ſibi fidentes nunquam deſerit.
Sed hei miſerã me, quis ſtrepitus iſte eſt? quis hic
Fragor? nimirum hoſtes huc irati mouent.

DA. *Sunt ſalua nobis caſtra viri, nec arbitror*
Aliquid mali inde exoriturum: vos modo viros
Præbete vos, cautiq́ nunc producite
Agmen: Deus ſic cœpta noſtra dirigat.
ABIG. *Hei arma Spudææ heic hoſtilia cõſpi-*
Tota tremo: num quæ fœmina infœlicior (*cor.*
Eſt me? quid agam? vel quod dicendi exordium
Sumam? metus vocemq́, linguamq́ occupat.
O Nabal, in quæ nos pericula conijcis?
DA. *Quid iſtud agminis eſt Ioab, quod obuiam*
Procedit huc nobis? armati, an ſarcinis
Veniunt onuſti? IO. *Neſcio hercle: ſed niſi*
Fallunt me oculi, cibaria ferunt: miror hoc
Quid ſibi velit. *ABIS.* *Nabalis iſti ſeruuli*
Videntur eſſe, quem fortaſſe pænitet
Suæ tenacitatis & auaritiæ,
Sed quid video? profecto mulier agminis
Iſtius eſt dux. *OC.* *Hos ne venire ad nos vides.*
Dauid? qn ergo hos cõtra ruimus? DA. *Hẽ, mane:*
Nam primum inermem turbam cædere nõ placet.
PRIOR eſt petendus, huius, qui mali eſt caput.
Nec hos temere huc venire credo, maxime
Cum mulier hæc, quantum video, forma & habitu
Honeſta ſit: magnum profecto quid ferunt.
Siſtamus hic paulò gradum, vt quid ſibi uelint

Intelli-

Intelligamus. ABIG. Hei mihi,nimirū hic eſt
Dauid,reliquos qui armis & toto corpore
Excellit:heu quos vultus,& quæ lumina
Video? minas cædesq́ ſpirant:ſed tamen
AVDENdum aliquid eſt pro ſalute publica.
Adibo. DA. Tu quæ es? & vnde venis huc inſo-
Quæue muliebres animos mouet audacia, (lēs,
Armato vt auſis mihi,meisq́ occurrere?
ABI. Res magna,mi domine,grauisq́ me impu-
Nam quò tuā,noſtramq́ ſalutem vindicē, (lit?
Supplex venio,& mihi imputare te velim
Omnem hanc iniquitatem,qua peccauit in
Te vir meus:quàre precor vt ancillulam
Tuam tibi loquentem benignius audias.
Peccauit in te Nabal,idq́ grauiſſime,
Dignusq́ mihi etiam videtur,qui malum
Ferat:ſed indignus tu,qui illud inferas.
Nam ſi muſcarum examen haud captat aquila,
Nec pulicis morſum ferarum rex Leo
Curat:quid ab hoc te accepta mouet iniuria?
Nam quantus eſt,Nabal vere eſt,& nomini
Reſpondet,in ſe nihil habens vel conſili
Vel auxilij,totusq́ carne ducitur.
Quod ſi tui me conueniſſent nuntij,
Nunquam hæc patrata in te fuiſſet iniquitas.

Sed bene Deus conſuluit adhuc, qui ſanguinem
Ne funderes prohibuit, & tibi obuiam
Me fecit: huius itaq; gratia mihi
Quicquid mali hoc eſt condona, ſintq; ſimiles
Nabalis omnes, qui malum tibi ſtruunt.
Tu potius hoc, quod offero, munuſculum
Benignius accipe, vt tuis ſit ſeruolis,
Quo nunc famis neceſsitatem mitigent.
Sic firma ſit, ſemperq; ſalua tibi domus,
Tuisq; læta cedant cuncta poſteris.
Sic tu malis exemptus omnia ſentias
Fœlicia, quod breui futurum firmiter
Spero: Deus ſiquidem populi regem ſui
Conſtituit olim, & illius tu prælia
Geris. Licet ergo te contra quàm plurimi
Inſurgere auſint, & peremptum poſtulent,
Nihil tamen proficient: nam tuebitur
Te Dominus, & animam tuam cuſtodiet.
Hosteſq; tuos funda rotatos plumbei
Globi inſtar abijciet procul. Tunc regio
Inſignis honore digna laudis præmia
Feres: nec hoc poſtremum erit quo gaudeas,
Quod ſanguine innocente non fœdaueris
Manus: ſed & nec mens ſibi male conſcia
Terrebit: Horum memor animum iratum preme.

Et ſi quando horum te meminiſſe iuuerit,
Tuæ ſimul memineris, oro, ancillulæ.
DA. O fauſtam, fœlicemq́ diem, quæ te obuiam
Mihi dedit. Quid vero primum prædicem?
Te ne, & tuos mores, tuæq́ gratiam
Linguæ? cui lubens fateor debere me,
Quod innocentis non reus ſum ſanguinis.
An potius illum, qui te talem condidit?
Nam teſtor hunc, mihiq́ credas velim:
Niſi tua nos præueniſſet ſolertia,
Extremus hic vobis illuxiſſet dies.
Sed accipimus, quæ huc attuliſti munera.
Tu læta domum, qua veniſti, reuertere,
Et res viri (qui indignus eſt te coniuge)
Tuasq́ pergito curare fideliter.
ABIG. Bene tu quidē mi domine: quare gratiā
Me plurimam debere tibi fateor lubens.
Faxit Deus aliquando, qui regit omnia,
Vt ſit mihi de te bene merendi occaſio,
Idemq́ te ſuo fauore protegat.
Adeſte ſeruuli, domum nos ocyus
Hinc conferamus, ne quid illic accidat
Incommodi: tu illos Spudæe ducito.
DA. Heus Ocymache, tu funditores illico
Reducito huc: tu vero Ioab exercitum

Cum commeatu in caſtra deductum cibo
Refice, tum quæ curanda ſunt, cura probe.
IO. Eo: ſequimini vos: Abiſaë, tu vltimos
Vt ordinē ſeruent, cohibe. Vah SOLERTIA
QVID non muliebris efficit? quanquam mihi
Non diſplicet tantæ mulier induſtriæ.
Nam mihi quoq; facilius fuerit, famelicos
In caſtra reducere ad cibos, quàm ad prælium.
Tū quid Abiſaë ſentis? AB. Probè pronuntias.
Nabal reuera hic eſt, nimiſq; plumbeus.
Quare ſinamus hunc, dummodo cibaria
Inſcius, & inuitus etiam, tranſmiſerit.

ACTVS IIII. SCENA III.

ARGVMENTVM.

Abigaël Nabali, ſobrio iam, quantum ſibi, ſuiſq; omnibus mali ſua improbitate aſciuerit, narrat. Habetur in his piæ & prudentis matronæ typus. E contra Nabal ſui ingenij ſtupiditatem magis magiſq; probat.

NABAL, ABIGAEL.

NA. At at nimis me heri bibiſſe ſentio,
Vicitq; vinum quod bibi: Vah nauſea
Stomachi quid hæc protendit? quid guttur ſiti
Arens, manuſq; tremula? quid pedes loco
Qui ſtare neſciunt? Itáne nondum mihi
Edormiſſe heſternam videor crapulam?

Beatus

Beatus ille, qui ſi quando largius
Potet, ferendo tamen eſt, nec moleſtiam
Tantam experitur, nec caput vertigine,
Nec membra ſentit tota delaſſarier.
Vnum hoc mihi ſi contigiſſet, neminem
Mortalium qui victitant me dicerem
Beatiorem: Nec tamen hoc ſolum mihi
Animum moleſtat: ſed quod vxor quoq; data eſt,
Quæ ut moribus meis nequaquam conuenit,
Ita iurgijs, ſi quando plus bibi, enecat.
Nam ſi ſemel iurgare cœperit, ſui
Oblita diem totum rixando tranſigit.
Nec dubito, quin hodie quoq; eloquentiam
Illius audire oporteat me. Quid fores
Crepuere? profecto huc ipſa prodit: triſtis eſt.
Nimirum aliquid iurgabit. AB. Huc modo virũ
Exiſſe meum dixere ſeruuli. Sed en
Coram video, quem quæro. Fœlix ſit precor
Huius tibi exortus diei, & lætior
Multò, quàm heſterna, quam tua culpa ferè
Funeſtam feciſti tibi & omnibus tuis.
NA. Nõne hoc fore prædixi? Quã tu mihi nũtias
Culpam? maliue quid patraui, qui diem
Totum ſodales inter & ſuauiſſimos
Tranſegi amicos? nec aliquid vel iurgij

Vel pugnæ obortum eſt. AB. *Scio domi qd feceris*
Poſtquã accubitũ eſt. Sed mi vir, audi me obſecro,
Et pauca te roganti mihi reſpondeas.
Venere ad te à Dauide miſſi nuntij,
Qui cõmeatũ poſcerẽt? NA. *Quid ni?* AB. *Quid his*
Datũ eſt reſponſi? NA. *Quo mihi quàm maxime*
Digni videbantur: negaui his omnia
Quæ poſtulabãt. AB. *Quid? negaſti?* NA. *Scilicet.*
Nec enim aliquis me ſic deſipere exiſtimet,
Vt quæ meis parata ſunt laboribus,
Eiuſmodi errones temere auferre patiar.
AB. *Prudenter. O ſi ita ſemper res domeſtica*
Curæ tibi eſſet. NA. *Tum ſuis coloribus*
Illos probe pinxi. AB. *Bene: ſed an non manus*
Horum timebas? NA. *Egone? quaſi vero duo*
Vel tres famelici mendici quidpiam
Me cõtra auderẽt. AB. *Sed qd illi?* NA. *Iniquius*
Quidem ferebant, ſed minati plurima
Tandem digreſſi ſunt. AB. *Quibus autẽ viribus*
Occurres, ſi fortaſſe armatas copias
Adducat huc Dauid, vi tibi vt extorqueat,
Quod non potuit verbis abs te impetrarier?
NA. *Illum ne tantum facinus auſurum putas*
Vnquam? AB. *Neſcio: ſed ſi fortaſſe auderet hoc,*
Tu quid faceres? NA. *Res ipſa conſilium daret.*

AB. At conſilio iam opus eſt, ne forte ſerius
Deliberes. NAM MVLTA ſuadet improba
Fames: tum proprium hoc habent ferè milites,
FAM Elicis vt cuncta licere exiſtiment.
NA. Exiſtiment licet hoc, pedē tamen huc ferent
Nunquā. AB. Vide mi vir, temere vt tua omnia
Dicas, faciasq́: atq; ego tibi edico palam,
Heic in propinquo cum ſuis cohortibus
Fuiſſe iam Dauidem: non viaticum vt
Dares, ſed vt te cum domo & omnibus tuis
Excinderet: nec dubium eſt, quin iam perditi
Miſeris modis eſſemus omnes, niſi Deus
Sua mihi affuiſſet ope, qui ſpiritu
Suo monuit me quid facerem, ſimulq́; cor
Dauidis, vt hoc incœptum omitteret, impulit.
Adeo in acie nouaculæ res ſita fuit.
NA. Dic obſecro, ludis ne tu, an vera hæc refers?
AB. Ah, ego ludam nunc in re tam ſeria?
Quin tota adhuc tremo, quoties mentem mihi
Subit tremendus ille aſpectus militum,
Quem pertuli, & quoties verba minasq́; recolo,
Armaq́; ſtrepitumq́; armorum, & rauca cornua.
Tum tota adhuc verſatur ob oculos mihi
Rerum facies, & iam videre me puto
Huc irruentem militem, qui ſeruulos

Cædat

Cædat palantes, qui greges innoxios
Mactet, qui te ſomno ſepultum & crapula
Affligat humi, gladioq́; pectus hauriat
Tuum, domumq́; flammis totam conſecret.
NA. *Hei me miſerũ, q̃ nunquã id fore putauerim:*
AB. *Atqui hoc ipſum eſt vnum, ꝙ vſq; cõqueror,*
Quod nec, quòd è re noſtra eſt, ipſe proſpicis,
Nec conſulentem me patienter fers: ſed &
Alij ſi conſilium ferant, tibi qui bene
Volunt, ita conſilijs illorum tu obſtrepis,
Quaſi pudendum ſit te ab alijs diſcere.
Vel in conuiuio heri, quid immodeſtiæ
Eſt abs te omiſſum? qui nec Eubulo ſeni,
Fautori & amico maximo, peperceris?
At interim egregie (ſi Dijs placet) tibi
De Glycylogo proſpexiſti, quo non puto
Quenquam modo viuere, magis qui commodus
Siet, vt vel opulentiſſimos depauperet.
NA. *Ah iurgijs ne me eneca, quando miſer*
Sum plus ſatis: ita me tua hæc oratio
Totum penè exanimauit: quin hoc dicito
Potius mea lux, malum iſtud vt tu auorteris?
AB. *Non fert locus nec tempus, vt nunc ſingula*
Dicam, ſed intro progreſſus cuncta audies.
NA. *Eo.* AB. *Abijt hic: vah ſtultitiã & amentiã*

Homi-

Hominis. Viros ne tales eſſe conuenit,
In queis nihil ſit mentis, aut prudentiæ?
Sequar, ſuis vt intus hunc coloribus
Pictum ſeuere, & dignis increpem modis.

ACTVS IIII. SCENA IIII.

ARGVMENTVM.

Dyſigamus ſolus de ſuæ uxoris moribus iniquis queritur. Introducta eſt autem huius deſcriptio, ut hac antitheſi, ſeu colatione Abigaëlis uirtus magis elucceſcat.

DYSIGAMVS.

AN quiſquam hominum me viuit infælicior?
Certe inueniri poſſe neminem puto,
Qui maxima in rerum affluentia magis
Egeat quàm ego: cuius mali cauſa vnica
Eſt vxor, vxoris tam indigna nomine,
Vt beſtia potius vocari debeat,
Aut ſi quid ipſis beſtijs nocentius
Viuit. Domi ſiquidem manere ſi velim,
Non antea iurgare venefica deſinit,
Donec domo me eijciat. Vbi hoc fit, neminem
Ad quem recipiam me habeo, præter hunc meum
Vicinum Nabalem (quia Eubulus alijs
Semper negotijs ſeuerioribus
Obſtrictus heic nobis operam dare non poteſt)
Vbi vero ad hunc ventum eſt, qui præter pocula

Nil

Nil ſomniat ſapitq́, fieri non poteſt,
Quin ipſe quoq; paulò bibam fœcundius,
Facetiorq́; domum redeam. Sed proh Deum,
Hoc ſi fiat, quæ fulgura, & quæ fulmina
Vxoris excipio? quæ me non ebrium,
Sed porcum, & aſinum, vtrem canemq́; clamitat.
Nec ante poteſt finem inuenire iurgijs
Conuitijsq́; donec res ad verbera
Manusq́; perueniat, queis ſi fœliciter
Aeque, vt maledictis pugnaret, profectò iam
Olim perijſſem funditus. Sic verò fit
Vxoris intemperie, vt nec domi queam
Meis frui, nec foris amicis libere
Conuerſari, dum huius vel experirier
Vel pertimeſcere me oportet væſaniam.
Profectò, ſi cui vxor fidelis contigit
Et commoda, is theſaurum incomparabilem
Se poſſidere credat, eiq́; indulgeat
Lubens, diu vt talem tenere poſſiet.
Sed quem ſubito à Nabale prodire video?
Spudæus eſt: triſtis videtur: quid ſiet
Miror, facile tamen quod eſt reſciuero.

ACTVS IIII. SCENA V.

ARGVMENTVM.

Spudæus Nabalem ægrotare, Philoponus uero eundem

iam obijſſe narrant Dyſigamo. Continet tota ſcena ebrieta-tis deteſtabiles fructus, & quàm ſtudioſe caueri debeat.

SPVDAEVS, DYSIGAMVS, PHILOPONVS.

SP. Profecto quantum res heri video mei,
Breui futurum credo, quod hera ſæpius
Prædixit, & ego ſum ominatus antea.
DY. Quid iſtud eſt mali? Hē Spudæe, q̄d de hero
Heic muſsitas? SP. Ipſius nunc doleo vicem,
Qui temperantius vt viueret, adducier
Nunquam potuit, donec ſuo magno malo
Iam diſcit, ipſius ſtuduiſſe commodo,
Quos ipſe ſibi inimicos eſſe credidit.
DY. Quid ita? SP. Quia intus iā iacet ꝓpior neci
Quàm vitæ. DYS. Nabalem ne tu dicis, qui heri
Et nudiustertius incolumis ſuauiter
Nobiſcum epulatus eſt? SP. Ego tam ſuauiter
Epularier nolim. DYS. Expedi quæſo ocyus
Me, quid patitur mali? SP. Faciam: Vix hodie
E lectulo cum prodijſſet, queſtus eſt
Noctem ſibi fuiſſe difficillimam,
Totumq́, dolere ſibi caput grauedine,
Sed & præcordia circum acuti quidpiam
Inſtar ſtimuli pectus, latusq́, pungere
Siniſtrum. Ibi nihil nos ſuſpicarier

Tanti mali, ſed crapulæ veſtigia
Heſternæ hæc eſſe credidimus. DY. *Profectò idē*
Ipſe quoq; putaſſem: nam nimium mihi viſus eſt
Bibiſſe, ut vnquam aliâs. SP. *Tandē frequentius*
Graui anhelitu ſpirare & ingemiſcere
Cœpit: deinde nemine hoc ſperante, humi
Horrendum quid clamans repente concidit.
DYS. *Miror tua quò tandem exeat narratio.*
SP. *Accurrimus omnes territi, tum ſtrepitu hera*
Audito intrò ſe proripit, quid ſit rogat,
Quidúe acciderit mali. Nihil nos, quàm modo
Quod tu audiuiſti, dicere poſſumus. At herus
Illam quaſi non noſſet, reſponſi nil dedit.
Mox vero oculos tranſuerſos torſit, & manus
Digitosq; diſtendit, buccisq; tumentibus
Spumas cruentas euomens, acerbius
Quiddam & querulum preßis fremebat dentibus.
DYS. *Spudæe totus horreo, quare iocis*
Ne me fictis ludas caue. SP. *Vtinam luſus hæc*
Sient, iocusq;: mihi profectò talia
Sunt viſa, vt inde me foras ſubduxerim,
Videre ne iſta cogerer diutius.
Sed quid Philoponus huc repente proſilit?
PH. *Mortalium quis vnquam vel violentius*
Vel magis inopinato diem obijt? ô necis

Fatiq́ neceſsitatem difficillimam. (te volo.
DY. *Quid hic q̄ritur?* SP. *Heus Philopone adeſdū*
Quid ita trepidas? peius ne herus habere occipit?
PH. Vt nunc habeat neſcio, ſed mortuum ſcio.
SP. *Quid? tun' herū oppetijſſe dicis?* PH. *Maxume*
SP. Her⁹ meus obijt? PH. Repente, cū hoc fore
Nemo putaret, vnico quaſi anhelitu
Efflauit animam purpuream, vtpote ſanguine
Quàm plurimo mixtā. DYS. Quid Philopone mi
Narras? PH. Quod audis, & cui ipſe interfui.
DYS. Hei vitam nimium lubricam mortalium.
Itáne integris adhuc fortunis omnibus,
Et vix medio vitæ peracto limite,
Intercidit Nabal? PH. Quid hoc mirum tibi
Videtur: HOC ſiquidem ebrietas ſtipendio
Suos ſolet remunerare milites.
Tu fac heri exemplo ſapias in poſterum.
DYS. Vtinā ſapere mecum queāt quàm plurimi,
Qui præter ventrem, crapulamq́ neſciunt
Aliquem Deum. SP. Qui tales ſunt, mouerier
Nullis queunt exemplis aut rationibus.
DYS. Sæpius equidem miror, quæ vis occultior
Ad crapulam tam perdite homines pertrahat.
Nam ſi reliqua, quibus peccant, conſyderes:
Talia ferè ſunt, vt voluptatem afferant,

Senſusq́ aliqua iucunditate mulceant.
At ebrietas ſola interturbare omnia
Solet, quibus gaudent homines, & ſi quis eſt
Senſus voluptatis aliunde, pellitur
Veneno intemperantiæ: nihilominus
Hanc corporis animæq́ peſtem ita expetunt
Homines, quaſi voluptas omnis in hac ſita ſiet.
SP. Non dubito, quin mortalium hoſtis publicus
Author ſiet: Nam cum pauciſsimos queat
Impellere, vt ipſi conſciſcant necem ſibi
Laqueo vel enſe (quod vnice cupit) malum hoc
Commentus eſt, vt poculis quàm plurimi
Seſe ſcientes, & volentes perdere
Studeant: nec ij dixiſſe perperam mihi
Videntur, EBRIETAS quibus væſania
Spontanea dicta eſt. Sed quid ego diutius
Ante oſtium foris moror, quaſi non ſiet
Quod intus agam? Quò tu Philopone nunc abis?
PH. Recta rus hinc me conferã, vt quæ geſta ſunt
In morte heri, paſtoribus denuntiem.
DYS. At ego eadem vxori narraturus abeo:
Vt hoc etiam inſtructa exemplo, eloquentius
Mecum poſthac expoſtulare poſsiet.

ACTVS V. SCENA I.

ARGVMENTVM.

Exponitur iuſtum Dei iudicium, quo Nabalis improbita-

tem coërcuit, & Dauidi factam iniuriam ultus eſt. Hinc de *Abigaele ducenda inſtituitur conſultatio.*

DAVID, ABIATHAR *ſacerdos.*

DA. Mirarier ſatis nequeo, quæ Abiſaus
De morte Nabalis modo recenſuit.
AB. ſunt ſane ſtupēda nimis, docētq; iudicē
Iuſtum eſſe Deū, qui nullius violentiam
Diutius inultam ſinat. DA. Sunt plurima
Quæ idem docent. Quaré indies conſultius
Nihil eſſe diſco, quàm grauiſſimas quoq;
Iniurias non iure ſtricto perſequi,
Sed vltionem omnem Deo permittere.
AB. Hoc ſi vel vnum homines queant, fœlicius
Multò heic agerent. Nec enim inuidi tabeſcerēt,
Nec ringerentur odijs, nec per vulnera
Mutua perirent: ſed Dei ſententiam
Patienter expectando ſeſe mutuis
Interea beneficijs ſtuderent vincere.
DA. Ego, hoc vt aſſequar, ſtudebo gnauiter.
Nec aliud in me nunc Dei beneficium
Præſtantius eſſe puto, quàm quod factam mihi
Iniuriam ſic vltus eſt, ne innoxio
Temerarius me contaminarem ſanguine.
AB. Nec video quid cauſæ ſiet iuſtæ, quod in
Se mutuo homines ſic ferociunt. Licet

Enim IMPII COR inſtar indomiti maris
Furiat, nouasq́; res ſemper deliberet:
Ludit tamen ipſorum ſtudia iuſtus Deus.
Et cum videntur eſſe fœliciſſimi,
Breuis, momentaneaq́; horum eſt fœlicitas,
Vitroq́; ſimilis, quod quò pellucet magis,
Eò facilius rumpitur. DA. Poſſum quidem
Hæc omnia mecum expendere: ſed homo cum ſiem
Humani à me nihil alienum ſentio.
Quare vel ira, vel dolore ſæpius
Superatus, horum non ſatis memor, mei
Etiam officij obliuiſcor. AB. Eſt hoc proprium
Carni: nec quoad heic viuimus, eius improbum
Licebit ingenium per omnia vincere.
Tamen reniti nos & obluctarier
Decet, quoad fieri poteſt. DA. Conabimur
Equidem. Sed audi nunc, cuius te gratia
Eduxerim huc foras. Nam ſi prudentia
Tuoq́; conſilio mihi vnquam opus fuit,
Nunc his opus mihi eſſe maxime puto.
AB. Nullũ profecto commodum in me claudier
Tibi patiar: quare quid ſit dic libere.
DA. Nabalis vxorem ſcio nouiſſe te
Satis. AB. Abigaëlem ne ais, excellentiſſimum
Illud decus mulierum noſtri ſeculi?

Quid de illa ages? DA. Eam mihi vxorem peto
Iungi, graueſq́; cauſæ, vt id faciam, mouent.
Nam præter id, meo quod ingenio ſatis
Commoda videtur, nec regali purpura
Indigna, multum ex hac ad omnes nos boni
Redire poſſe exiſtimo: nam ſuccurrere
Noſtris facile poſſet neceſſitatibus.
AB. Sunt vera quæ dicis: ſed illi vix puto
Perſuadeas, vt exuli nubat viro.
DA. Videtur id quidem grauiſſimum fore:
Sed ſi periculum faciamus, forſitan
Facillime effici poterit. Tum mihi Deus
Ante omnia ſpectandus videtur, quem meas
Res non minus nunc, quàm hactenus, fideliter
Spero gubernaturum: te autem vt conſulas
Rogo, ratione qua negotium aggredi
Hoc commode poſſimus. AB. Ante omnia quidē
Mulieris animus plene inueſtigarier
Debet: nec id negotij te credere
Cuiuis temerè velim: ſed aliquem deliges,
Probum, pium, comem, fidelem, affabilem,
Cuiq́; te charum eſſe cumprimis ſcias.
Talis mihi Abiſans videtur. DA. Perplacet.
AB. Mox vero ſi conſentiat illa, omnis mora
Rumpenda erit, ne quis malignus incidat,

Qui quod ſtatuit ſemel, rurſus diſſuadeat.
Sed & mulierum noſti qui mores ſient,
Quæ quod volunt modo, illico ſi quid noua
Spei offeratur, nolunt: nec rationibus
Vllis mouentur, animum ſi obfirmauerint.
Quare huc eam ad te transferas celerrime.
DA. Bene conſulis, nec ipſe aliud conſultius
Quicquam video: properemus ergo hinc illico
Ad caſtra, vt Abiſaum mandatis inſtruam.

ACTVS V. SCENA II.

ARGVMENTVM.

Georgus ſeruili ingenio de heri morte, uere quidem, ſed ut uulgus pauperum ſolet, inuidè, & amarulenter diſſerit. Incidit in hunc Glycylogus, & pugnis contuſus dignum ſuæ profeßionis ſtipendium accipit.

GEORGVS, PHILOPONVS, GLYCYLOGVS.

GE. Horrenda narras. Hic ne fuit conuiuij
Tã ſplẽdidi finis? PH. Quin ſi iſthæc omnia
Coram videre contigiſſet, ſat ſcio
Totus tibi horreret animus. GE. At ego Deum
Iuſtum, bonumq́, prædico, qui diuitum
Luxum, inſolentiamq́, qua nos opprimunt,
Ad hunc modum coërcet, eoq́ modeſtius
Sortem meam ſuſtineo. PH. Decet hoc ſingulos,

Vt,

Vt, quam Deus prouinciam dedit, animo
Æquo ferant: noſtrum tamen eſt, ne acerbius
Quicq̃ de heri interitu loquamur: NAM omniũ
CONDITIO eadẽ eſt, & quod modo ipſe exp-
Idem tibi quoq; aut alij contingere (tus eſt,
Facillime poteſt. GE. Ego vero pij
Hominis puto eſſe, vt ſi quid huius accidit,
Attentus obſeruet, vt alios (ſi quando opus
Sit) erudire exemplis ſimilibus queat.
PH. Idem ipſe tecum ſentio: volo tamen
Amarulentiam caueri: ſic enim
Noſtris potius affectibus indulgere, quàm
Digne celebrare nos Deum videbimur.
GE. Vah, q̃ hæc ſuperſtitio animũ inceſſit tuum?
Ego gloriam Dei celebrandam exiſtimo,
Vtut hominũ res ſeſe habeant. PH. Bene tu qui-
Pronuntias: at ſi diuinæ gloriæ (dem
Aſſertor es tantus, cur illam negligis
In te? nec enim minus hanc elucere arbitror,
Tuam quod inſolentiam, & intractabile
Ingenium ſeruitute graui coërcuit.
GE. Sine hæc, heriles te cauſas tuerier
Semper, ſcio: nihilo tamen melius tibi
Conſultum eſt, quàm mihi. Sed hic quis hoſpes eſt
Nouus, domo qui è noſtra ꝓdit? PH. Glycylogus

Profectò hic eſt. GE. *Is ne eſt, mihi de quo antea*
Dixti, illius qui author fuit conuiuij,
Poſt quod valere deſijt, vt aiunt, herus?
PH. *Haud alius eſt.* GE. *Nebulo nimirũ magnus*
Vtinam aliqua daretur mihi heic occaſio, *(eſt.*
Qua illum, prout meruit, tractare commode
Poſſem. PH. *Tu ſi ſapis (moneo) manũ abſtine.*
GLY. *Poſtquam Nabalem mihi fati neceſſitas*
Eripuit, heic non amplius quicquam loci
Mihi ſupereſſe video: quare pauculis
Iſtis (pro vt potui) corraſis, conferam
Me aliò. O fors fortuna, quæ nihil ſinis
Nobis boni eſſe perpetuũ. GE. *Quid? num fugã*
Adornat? Heus bone vir, gradum ſiſte illico.
Mane, mane inquã. GL. *Quis vocat?* GE. *Is quẽ tu*
Reſpõdeas velim mihi. Tun' Glycylogus *(vides.*
Es? GL. *Cur rogitas?* GE. *Tuis quia artib⁹ meũ*
Herum perijſſe fama conſtans fert. GL. *Dij*
Meliora: egóne perijſſe cupiam, quem Deus
Mihi patronum dederat optatiſſimum?
GE. *At vt aliter credam nunquam perſuadeas.*
Quò vero nunc abis? GL. *Aliquem quæſitum eo*
Cui ſeruiã, meam qui egeſtatem alleuet.
GE. *q̃d heic feras ſcire volo: ſine videã.* PH. *Malũ.*
Quæ hæc immodeſtia? ſine vt abeat in malam

Rem.

Rem. GE. *Non ſinã. qd fers?* GL. *q̃d id tua intereſt*
Cũ tu nihil dederis, nec vt des quicquam habes.
GE. At vt dare quid poſſim ſcias, pugnum tibi
Iſtum volens impertior, vt tecum auferas.
GL. hei hei populares ferte opẽ. GE. *qd? clamitas?*
Addã igitur & hũc, pluresq́ alios, quãdo ita lubet.
PH. Sine obſecro George. GL. *Quæ hæc audacia?*
Itáne ingenuum tractari in gente libera
Fas eſt? Deum iratum mihi velim, niſi
Ad Prætorem te deferam. GE. Quin ocyus
Te illuc defers, furem & nebulonem maximum.
Sed ſcin' vt heic res tibi habeant? Si quid moræ
Te nectere videro, faciam ne deferas
Quenq̃ amplius. PH. *Importunꝰ es tu homo nimis.*
Quin ingredere, quando & ſi tu ceſſes, ſatis
Siet malorũ. GL. Proh Deũ, quæ hæc calamitas?
Itáne malum ex malo ſeritur? vt qui ſemel
Miſer eſſe cœpit, indies aliquid noui
Mali experiatur. En Nabalem ſuſtulit
Indigna mors, mihi quem patronum elegeram,
Nec id ſatis, niſi hunc daret mihi obuium
Fortúna, colaphis qui miſerum contunderet.
Verum cui id querar? profecto neminem
Puto fore, qui non id merito factum æſtimet,
Sed multa ferat oportet, quiſquis ſic ſuas
Res inſtituit, aliorum vt viuat ſumptibus.

ACTVS V. SCENA III.

ARGVMENTVM.

Abiſaus cum Ocymacho inter eundum de Dauidis inſtituto coniugio loquuntur, ubi multa de mulierum ingenio dicit Abiſaus. Excipit hos primus Spudæus, ubiq; fidi ſerui (nonnihil tamen ob imperium in alios ſibi conceſſum arrogantioris) exemplum præbens.

ABISAVS, OCYMACHVS, SPVDAEVS.

AB. Scin' Ocymache, cuius rei nos gratia
Nabalis ad domum Dauides miſerit?
OCY. Ego vero quid rei geratur neſcio.
Niſi forte commeatum denuo petere
Iuſsit, facilius quem nunc impetrarier
Poſſe arbitror, poſtquam Nabal defunctus eſt.
AB. Imò petetur, quo nihil præſtantius
Vel elegantius domo in tota puto
Reperirier poſſe. OC. Hoc qd eſt? AB. Apertius
Non dicam, tu quid hoc ſiet conijce. OCY. Quaſi
Vero propheta, aut diuinaculus ſiem.
AB. Dicam igitur amplius. Petemus, quod datũ
Si fuerit, haud dubito melius res omnium
Habituras. OC. Enecas: quin ipſam rem vnico
Verbo expedi. AB. Faciã. Abigaëlem, cõiugem
Nabalis antea, ſibi coniungier

Dauides

Dauides expetit, illiusq́ gratia
Nunc mittimur. OC. Quid ais? Abigaelem ſibi
Vult coniugẽ Dauid? AB. Quid ni velit. OC. Ni
Profecto Abiſae, confidentem iudico, (mis
Hoc ſi putet illi poſſe perſuaderier.
AB. An vero tu id tam difficile cenſes fore?
OC. Quid ni putẽ? Nec enim tam ſtultã exiſtimo,
Vt tot ſimul opes, & domum tam ſplendidam
Deſerere velit, atq; ei viro ſe iungere,
Quo cum nec ocio, nec certis ſedibus
Frui queat. Certe hoc nunquam me iudice
Faciet. AB. Faciũt multa mulieres, ſi commode
Tractentur, illas quod facturas antea
Nemo putabat. Nec parum conducet heic
Nobis, ſi auunculo regnum diuinitus
Pactum audierit: natura enim ambitioſius
Quiddam mulieres ſomniant, & indies
Nouos honores, dignitateſq́ expetunt.
OCY. Velim hoc ei perſuadeas: ſed niſi Deus
Illius animum ſpiritu ſuo regat,
Nil te impetraturum puto. AB. Atqui hunc ma
Spero affuturum nobis, vt fœliciter (xime
Res cedat, hoc ſiquidem ſciat connubium
E re fore Dauidis. Sed cur non ocyus
Properamus eò, ne quid mora hæc incommodet?

OC. Nolo mora in me aliqua ſiet: tu me vtere
Vt libet. SP. Hera me relictis intus omnibus
Prodire iuſſit, vt quid agant heic ſeruoli
Obſeruem, qui vt primum vident ſe à nemine
Vrgeri, negligenter omnia faciunt.
Scio tamen quid de me dicturi ſient;
Si illos, vt opus ſuum faciant fideliter,
Adhorter: at ego illorum verba non moror.
Heræ ſiquidem inſeruire animus eſt, vt boni
Fidiq́ ſerui eſt officium. At quos nam procul
Hinc aduenire video? certè niſi mei
Fallunt me oculi, Dauidis iſti milites
Sunt: miror heic quid denuo velint. AB. Viden'
Quis ante Nabalis fores ſtet, neſcio
Quid ſecum murmurans? OC. Nimirum ſeruulus
Huius familiæ eſt. AB. Quin igitur accedimus
Illum propius? Saluos ſies. Eſt ne Abigael
Intus? SP. Cur id rogas? AB. Quia cōuentā volo, et
Vt conueniā cauſa eſt mihi maxima. SP. Neſcio
Tutum ne ſit ad illam vos intromittere.
AB. Nihil periculi eſſe, pollicerier
Sanctè tibi poſſum. SP. Vin ergo credam tibi?
AB. Volo. SP. Vide ne me fefelleris. Heus puer
Duc hos ad heram intrò. Quo magis magisq́ rem
Hanc cogito, eò miror magis quid nam ſiet.

Quod niſi fides Dauidis atq; integritas
Perſpecta mihi iam olim eſſet, magni quidpiam
Mali vererer: ſed Deum ſupplex precor
Vt iſtud omne auortat. Quod ſi denuo
Vt commeatum poſtulent, adſunt: graue eſt
Et ſumptuoſum nimis, alere hos diutius.
Vt de periculo interim dicam nihil,
Cùm patriæ hoſtes eſſe proclamauerit
Saulus. Quid autem facias? quando ſi neges,
De ſorte tota te periclitarier
Oporteat. Sed quid ego mecum hæc diſputo?
Quin intus abeo, vt quid velint intelligam.

ACTVS V. SCENA IIII.

ARGVMENTVM.

Iocoſum inſeritur duarum ancillularum colloquium: quarũ altera laſciuior nec ſatis pudica, altera curioſula & loquacula fingitur. De *heræ autẽ connubio nouo ſermones ſeruilis improbitatis, & amarulentiæ plenos conferunt.*

PORNION, EVLALIA, *ancillæ.*

PO. *Durare certè heic nemo poſſit amplius*
Si ſic fiat: adeoq; ſcire velim, mihi
Quot ſint domini. Certè infelicius puto
Nihil, quàm ſeruam ſæculo iſto naſcier,
Vbi quod facias rectum nihil ſiet. Interim hoc
Mihi maximè dolet, quod è noſtro ordine

Pro-

OC. Nolo mora in me aliqua ſiet: tu me vtere
Vt libet. SP. Hera me relictis intus omnibus
Prodire iuſſit, vt quid agant heic ſeruoli
Obſeruem, qui vt primum vident ſe à nemine
Vrgeri, negligenter omnia faciunt.
Scio tamen quid de me dicturi ſient;
Si illos, vt opus ſuum faciant fideliter,
Adhorter: at ego illorum verba non moror.
Heræ ſiquidem inſeruire animus eſt, vt boni
Fidiq́ ſerui eſt officium. At quos nam procul
Hinc aduenire video? certè niſi mei
Fallunt me oculi, Dauidis iſti milites
Sunt: miror heic quid denuo velint. AB. Viden'
Quis ante Nabalis fores ſtet, neſcio
Quid ſecum murmurans? OC. Nimirum ſeruulus
Huius familiæ eſt. AB. Quin igitur accedimus
Illum propius? Saluos ſies. Eſt ne Abigael
Intus? SP. *Cur id rogas?* AB. *Quia cōuentā volo, et*
Vt conueniā cauſā eſt mihi maxima. SP. Neſcio
Tutum ne ſit ad illam vos intromittere.
AB. Nihil periculi eſſe, pollicerier
Sanctè tibi poſſum. SP. Vin ergo credam tibi?
AB. Volo. SP. Vide ne me fefelleris. Heus puer
Duc hos ad heram intrò. Quo magis magisq́ rem
Hanc cogito, eò miror magis quid nam ſiet.

Quod

Quod niſi fides Dauidis atq; integritas
Perſpecta mihi iam olim eſſet, magni quidpiam
Mali vererer: ſed Deum ſupplex precor
Vt iſtud omne auortat. Quod ſi denuo
Vt commeatum poſtulent, adſunt: graue eſt
Et ſumptuoſum nimis, alere hos diutius,
Vt de periculo interim dicam nihil,
Cùm patriæ hoſtes eſſe proclamauerit
Saylus. Quid autem facias? quando ſi neges,
De ſorte tota te periclitarier
Oporteat. Sed quid ego mecum hæc diſputo?
Quin intus abeo, vt quid velint intelligam.

ACTVS V. SCENA IIII.

ARGVMENTVM.

Iocoſum inſeritur duarum ancillularum colloquium: quarũ altera laſciuior nec ſatis pudica, altera curioſula & loquacula fingitur. De heræ autẽ connubio nouo ſermones ſeruilis improbitatis, & amarulentiæ plenos conferunt.

PORNION, EVLALIA, *ancillæ.*

PO. *Durare certè heic nemo poſſit amplius*
Si ſic fiat: adeoq; ſcire velim, mihi
Quot ſint domini. Certè infelicius puto
Nihil, quàm ſeruam ſæculo iſto naſcier,
Vbi quod facias rectum nihil ſiet. Interim hoc
Mihi maximè dolet, quod è noſtro ordine

Pro-

Prodire conſpicor indies, qui nos magis
Exerceant, vexentq́: qualem nos modo
Spudæum habemus, qui quia heræ præ cæteris
Poteſt adulari, ſolus regit omnia,
Moleſtiorq́ eſt multo, quàm ſi ſeruulus
Ipſe haud vnquam fuiſſet: ita demum ſuo
Fungi putans ſeſe officio fideliter,
Laboribus ſi nos tantum non enecet.
At quis repente ſic foras huc proſilit?
Nimirum aliquis eſt, qui mihi negotium
Heic quoq́ faceſſat. Eulalia eſt, à qua mali
Nihil timendũ. EV. *Proh deûm atq́ hominũ fidẽ*
Vnde hæc leuitas innata noſtro ſexui,
Vt nil mulieres non ſibi perſuaderier
Sinant? Sed vbi inueniam, cui hæc communicem?
Quando reticere non queo. PO. *Quid iſtud eſt*
Mali Eulalia? qd clamitas? EV. *Hem Pornion,*
Nemo eſt hominũ, mihi quem magis obuiũ velim
Nũc. PO. *Quid noui eſt?* EV. *Quid ſit noui rogas?*
Mirabere: nec quenq́ puto, qui ſi audiat (*Scio*
Primum, facile ſit crediturus. Nam mihi
Vix ipſa credo, quæ meis hiſce auribus
Rem comperi. PO. *Quid hoc ſiet dic obſecro.*
EV. *Veniſſe ne huc Dauidis ſcis tu nuntios?*
PO. *Veniſſe ſcio quoſdam, ſed vnde venerint,*

Ignoro

Ignoro:nam dum qui ſient rogo,improbus
Spudæus interuenit,& eiecit foras.
EV. *At à Dauide hos aduenire ſat ſcio.*
PO. *Credo,ſed huc quid afferant edicito.*
EV. *Mane,audies. Vbi in gynecæum hos duciet*
Vidi,illico noui aliquid ſuſpicata ſum
Monſtri ſubeſſe:ideoq; ſuſpenſo gradu
Placide ad fores me contuli,illicq; aſtiti,
Animamq; comprimens, tacita auſcultare quid
Intus agerent cœpi:nec mora longa,facinus
Cũ incredibile audiui & ſtupendũ. PO. Quod mea
Eulalia? EV. *Quod arbitrare?* PO. *Neſcio.* EV.
Mirificiſſimũ. Hera molitur nuptias. *(Sed et*
PO. Quid ais? EV. Petebant ut Dauidi nuberet.
Tunc illa primo tergiuerſari quidem
(Vt quæ ioci luſusq; putaret gratia
Hæc dici) at vbi rem ſeriam eſſe comperit,
Mox uicta (quantum ante oſtium audire licuit)
Conſenſit. PO. Vt illam cum ſuo connubio
Magnus male perduit Deus. EV. Modeſtius
Quæſo:nec enim heram nil meritam de te mali
Sic execrarier decet. PO. Au tace mea
Tu: Imò quouis videtur infortunio
Mihi digna:quæ ſi quam grege è noſtro videt
Cum ſeruulo vel colloqui vel ludere,

Nil non iniquæ ſuſpicionis concipit.
At ipſa prioris adhuc viri veſtigia
Tantumnon lecto impreſſa cernens, nuptias
Virumq́; nouum ſibi quærit. EV. At cur vitio ei
Vortis, quod ipſa, ſi qua poſſes commode,
Faceres? PO. Minus culparem, ſi noſtris quoq;
Infirmitatibus aliquando ignoſceret.
EV. Sic cōparatū eſt, vt quantū omnes poſſumus
Noſtris ſoleamus indulgere affectibus.
Sed tu caue, ne hæc temere cuiquam effutias.
PO. Ridicula, quæ me alijs referre prohibeas,
Quæ tu reticere non potueris. EV. Bene quidem
Dicis: ſed ex me te hoc didiciſſe, neminem
Scire volo. Quem vero intus ſtrepitum ego audio?
Fortaßis huc prodire tentant: ocyus
Ergo in coquinam confero me: tu ſi ſapis
Sequere. PO. Et volēs qdē: nec enim volo me hera
Aut quiſquam alius morā heic traxiſſe viderit.

ACTVS V. SCENA V.

ARGVMENTVM.

Abigaël cum Dauide *matrimonium contractura ab* Abiſaio *deducitur.* Excipit *hanc* Dauid, *& in nuptias deſinit* Comœdia.

ABIGAEL, ABISAVS, DAVID.

AB. *Fac diligenter cures quæ dixi omnia*
Spudæe:tum domi maneant ancillulæ
Reliquæ quoad reuertor: vos me ſequimini.
ABIS. *Iane im⁹ Abigaël? adueſperaſcit.* ABIG. *At*
Nulla amplius in me erit mora. Dominum precor
Nobis fœlicia vt velit eſſe hæc omnia.
ABIS. *Ita faxit.* ABIG. *Quã paucas putas eſſe ho-*
Abiſaë, quæ quod ego facio, facere velint? (die
ABIS. Paucißimas:ſed ego vidẽdum non puto,
Quàm multi aliquid faciant, ſed quàm laudabile
Iuſtumq́, quod faciunt, ſiet. ABIG. *At plures ſcio*
Fore, qui nec honeſte, nec ſapienter hoc putent
Fieri. ABIS. Diuerſas ſcis hominum ſententias
Audiri in re qualibet:at has ego minime
Cenſeo ſequendas:maxime heic, vbi plurima
Sanctißimarum extant exempla mulierum,
Quæ idem faciendo gloriam ſibi maximam
Pararunt. En Saram vide, quæ patrios
Cum poſſet inter parietes ſeneſcere,
Et ſuauiter viuere, tamen diuinitus
Aliò vocatum coniugem potius ſequi
Periculaq́ ſubire plurima maluit.
ABIG. Scio, & ideo laudata eſt à me ſæpius.
ABIS. Sed & Rebecca, eodem nata ſanguine,
Patriam volens reliquit, vt his ſe iungeret,

Quos tot ſuis promiſsionibus Deus
Inſtruxerat: talis Rahel & Læa legitur,
Diuinis vtraq; celebrata litteris.
ABIG. Faciũt mihi hæc certe ſpẽ aliquã. ABIS.
Nec fallet hæc.
NAM FALLERE nõ poteſt Deus, q̃ veritas
Eſt ipſa: quiq; nos promiſsionibus
Auunculumq; maximis beauit in
Hunc vſq; diem. Nam quid referre heic attinet?
Quoties manu ex hoſtili liberauerit,
Sauliq; conatus repreſſerit improbos,
Quæ tu ipſa ſcis, & in ore iam ſunt omnium.
ABIG. *Audiui equidẽ ea ſæpius.* ABIS. *Quod ſi q̃d*
Adhuc periculi, leue eſt, & quod diu (*eſt*
Durare non poſsit: nam impletur indies
Saulina iniquitas, quæ vbi peruenerit
Ad ſummum, ſpõte corruet. ABIG. *Quiduis pati*
Parata ſum, ſua modo adſit gratia
Mihi Deus. ABIS. Sed dum ſermones cedimus.
Nimis propero fortaſſe. ABIG. Nõ certe nimis.
Nã te facile ſequor. ABIS. *Viden' caſtra heic ꝓpe?*
ABIG. *Video.* ABIS. *Sed hic quis eſt, q̃ illic obam-*
Solus? profecto Dauid eſt. Da. Abiſaũ (*bulat*
Solicitus expecto, mirorq; quid ſiet
Cauſæ, reditum diutius quod differat.

Sed

Sed en venire video. Quis comitatus hic
Eſt,quem ſecum ducit? nimirum Abigaël eſt.
Ipſa eſt. Quando ego digne ſatis te prædicem
Deus,meis qui ſic faues conatibus?
Ibo obuiam his. ABIS. *Nos quia venire vidit,huc*
Properat. Satin' Dauid mea eſt probata iam
Tibi fides? qui iſtam tam paruo temporis
Spatio tuam effeci. DA. *Merito te maximi*
Facio mi Abiſaë,faciamq́ in poſterum,
Ne quando te huius pœnitere poſſiet.
Tu vero ſalue animo meo optatiſſima,
Quam omnis mihi fortunæ conſortem volo.
ABIG. *Vnde hæc mihi domine mi gratia,vt tibi*
Me coniugem velis,quæ vix ancillula
Dici mereor,pedes tuorum vt abluam?
DA. *Sine hæc,ſcio quæ ſis. Deus faxit precor,*
Vt quæ exuli non dedignaris iungier
Mox lætiori poſſies mecum frui
Fortuna:tu hanc Abiſaê intro ducito,
Et quæ paranda ſunt,para fideliter.
CALL. *Ne expectetis,dum exeant huc. Intus deſpondebitur.*
Intus trāſigetur,ſi quid eſt,quod reſtat. Plaudite.

FElicitatem vobis maximam precor,
Qui fabulā hanc ſpectaſtis, quę pulchre docet
Quibus ſint præditi ſtudijs & moribus
Homines, qui viuunt deplorando hoc ſeculo.
Sed ſcire vultis quid ſit,& admiramini,
Quòd cernitis me quoq; nunc prodire iuuenem,
Et has agendi partes ſumere vltimas.
At cur ego huc veniam non multis eloquar:
Detis mihi ſaltem pauca dicendi locum,
Hæc namq; dicam, veſtris quæ ſunt moribus,
Voluntatiq; non inconuenientia.
Veſter facit candor, probitasq; maxima,
Atq; animus illius,qui ludos hos facit,
Poeticum vt chorum veſtræ cuſtodiæ
Meis,quibus poſsim,commendem verbulis.
Comœdiæ quoq; dicam quàm ſint vtiles,
Et hæc recens quid ſpectet fabula.
Sed gratias vobis habemus plurimas,
Ad ſcenicum hoc quòd veniſtis ſpectaculum.
Requirit hoc veſtra bonitas & æquitas,
Boni vt faciatis ſtudium hoc æquanimiter,
Honoris quòd veſtri cauſa ſuſcepimus.
Nam quò magis bonas amatis literas,
Hoc mage ſtudete iam nouis laboribus.
Quapropter auditores ô clariſsimi,
Rogamus omnes pro veſtra ſapientia,
Et ſingulari virtutis præſtantia,
Seruate Muſas hoc tam miſero ſeculo,
Easq; defendite, quæ nil auxilij habent.
Videtis enim quot oſores nunc perferant.
Quorum furor vt per totum mundum ſæuiat

In hos,quibus fauent Muſæ caſtiſsimæ.
Quis negligit nunc contēnere tam ſanctas literas,
Quibus reguntur orbes mundi nobiles?
Quis eſt,cui non placeret potius barbaras
Gentes,& audaces ſequi,quàm literas?
Quos non malos,rudesq́ patronos habent?
At nos miſeri,qui ſummas res amplectimur,
Et qui vitæ ſtudemus innocentiæ,
Contemnimur, negligimur fermè ab omnibus.
Vos ergo nos omnes amate benigniter,
Et facite vt ſtudium hoc noſtrum ſemper floreat.
Hoc veſtra requirit dignitas & gloria.
At tu iuuentus literis dedita ſacris,
Chori Muſarum nobilis docta aſſecla,
Comœdias ama,ſequere,admirareq́,
Audi,doce,fac,age,laudeq́ multa vehe.
Hoc etenim qui facit, videre dicitur,
Humana vita quàm ſit multis obruta
Moleſtijs, crucibus,fortunis,& miſerijs,
Incertus vt caſus regat propè omnia.
Sunt etenim ſpectaculum vitæ huius comœdiæ.
Quæ imitantur & referunt mortalium omnium
Conditiones,mores,ſtudium,& vitæ modum.
Errata ſingulorum tangunt, vitiaq́,
Et quemlibet monent ſuo de munere.
Si quid ſequi velis,ſequendum quod putes:
Vitare ſi quid,huc,peto,mentem dirige.
Si ſcire vis,quid agat ſenum prudentia,
Si neſcis ætatis florem quid deceat,aut
Dolus famulorum quàm ſit multus,& vafer,
Meretricum quanta ſit techna,& fallatia,

Felicitatem vobis maximam precor,
Qui fabulã hanc ſpectaſtis, quę pulchre docet
Quibus ſint prædíti ſtudijs & moribus
Homines, qui viuunt deplorando hoc ſeculo.
Sed ſcire vultis quid ſit, & admiramini,
Quòd cernitis me quoq; nunc prodire iuuenem,
Et has agendi partes ſumere vltimas.
At cur ego huc veniam non multis eloquar:
Detis mihi ſaltem pauca dicendi locum,
Hæc namq; dicam, veſtris quæ ſunt moribus,
Voluntatiq; non inconuenientia.
Veſter facit candor, probitasq; maxima,
Atq; animus illius, qui ludos hos facit,
Poeticum vt chorum veſtræ cuſtodiæ
Meis, quibus poſsim, commendem verbulis.
Comœdiæ quoq; dicam quàm ſint vtiles,
Et hæc recens quid ſpectet fabula.
Sed gratias vobis habemus plurimas,
Ad ſcenicum hoc quòd veniſtis ſpectaculum.
Requirit hoc veſtra bonitas & æquitas,
Boni vt faciatis ſtudium hoc æquanimiter,
Honoris quòd veſtri cauſa ſuſcepimus.
Nam quò magis bonas amatis literas,
Hoc mage ſtudete iam nouis laboribus.
Quapropter auditores ô clariſsimi,
Rogamus omnes pro veſtra ſapientia,
Et ſingulari virtutis præſtantia,
Seruate Muſas hoc tam miſero ſeculo,
Easq; defendite, quæ nil auxilij habent.
Videtis enim quot oſores nunc perferant.
Quorum furor vt per totum mundum ſæuiat

In hos,quibus fauent Muſæ caſtiſsimæ.
Quis negligit nunc contẽnere tam ſanctas literas,
Quibus reguntur orbes mundi nobiles?
Quis eſt,cui non placeret potius barbaras
Gentes,& audaces ſequi,quàm literas?
Quos non malos,rudesq́ʒ patronos habent?
At nos miſeri,qui ſummas res amplectimur,
Et qui vitæ ſtudemus innocentiæ,
Contemnimur, negligimur fermè ab omnibus.
Vos ergo nos omnes amate benigniter,
Et facite vt ſtudium hoc noſtrum ſemper floreat.
Hoc veſtra requirit dignitas & gloria.
At tu iuuentus literis dedita ſacris,
Chori Muſarum nobilis docta aſſecla,
Comœdias ama,ſequere,admirareq́ʒ,
Audi,doce,fac,age,laudeq́ʒ multa vehe.
Hoc etenim qui facit, videre dicitur,
Humana vita quàm ſit multis obruta
Moleſtijs, crucibus,fortunis,& miſerijs,
Incertus vt caſus regat propè omnia.
Sunt etenim ſpectaculum vitæ huius comœdiæ.
Quæ imitantur & referunt mortalium omnium
Conditiones,mores,ſtudium,& vitæ modum.
Errata ſingulorum tangunt, vitiaq́ʒ,
Et quemlibet monent ſuo de munere.
Si quid ſequi velis,ſequendum quod putes:
Vitare ſi quid,huc,peto,mentem dirige.
Si ſcire vis,quid agat ſenum prudentia,
Si neſcis ætatis florem quid deceat,aut
Dolus famulorum quàm ſit multus,& vafer,
Meretricum quanta ſit techna,& fallatia,

Imagi-

Imaginem vides horum in comœdijs,
Quas elegantia præſtans Terentius,
Et ſalibus gaudens Plautus edidit vetus.
At cerne quid fiat noſtro nunc tempore,
Quo non minus vigent bonæ res, quàm antea,
Quo iuuenis elegans datus poëticæ,
Prophanis non tantum ſtudet comœdijs,
Sed & ſacras hiſtorias ludens edocet,
Ac ſcenicis ſoccis vult reddere bonos
Viros, & ad pietatis ſtudium adducere.
Quod & noſter nouus Comicus hic præſtitit
Rem non nouam, ſed ætate hac valde vtilem,
Ex qua diſcamus, quæ ſit noſtra functio,
Cui Deus pater præfecit ſingulos,
Curemus ipſam ſtudio & maxima fide,
Nil hæſitantes quin Deus ter optimus,
Noſtros ſit adiuturus conatus ita,
Vt ſe receperit facturum ſedulò.
Sed hæc boni conſulite quæ dixi modò.
Nam Muſicus nunc alio ducitur chorus.
Vos interim bellè valete, & plaudite.

FINIS.

W